BV 4611
R6
V.4
1875

CAPILLA ALFONSINA

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

Biblioteca Universitaria

44645

# AURIFODINA UNIVERSALIS

# SCIENTIARUM DIVINARUM

## ATQUE HUMANARUM



### RAPINA.

S. ANSELM. *Definitio*. Rapina est, quando quilibet alienam rem per violentiam sibi usurpat, quæ sibi non competit. Super *Epist. ad Philipp.*, cap. 2.

S. ANTONIN. Rapina est rei alienæ non sacræ in loco non sacro illicita per violentiam ad lucrum facta usurpatio. Part. 2, tit. 1, cap. 12, § 8.

HUGO A S. VICTORE. Rapina est ex avidæ mentis proveniens impetu, violenta alienarum rerum direptio. *De Fructibus carnis et spiritus*, cap. 8.

S. THOMAS AQUINAS. Rapina est quædam violentia et coactio, per quam contra justitiam alicui aufertur quod suum est. 2, 2, quæst. 66, art. 8.

S. ANTONIN. *Differentia*. Differt furtum a rapina, quia furtum occultam, rapina vero violentam usurpationem importat. Part. 2, tit. 1, cap. 12, § 8.

JOAN. GERS. Rapina et furtum inter se differunt. Rapina est violenta contrectatio rei alienæ invito domino : furtum vero est occulta contrectatio rei alienæ domino non consentiente. Part. 4, in *Descript. terminor.*, cap. *Temperantia*.

S. THOMAS AQUINAS. Furari et rapere inter se differunt; quia primum latenter, secundum hostiliter. Super II *Cor.*, cap. 12, lect. 1.

Furtum et rapina inter se sunt distincta : nam furtum est quando dolo et clanculum : rapina vero, quando aperta et manifesta vi, sua cuipiam bona, nulla premente necessitate per injuriam auferuntur. 2, 2, quæst. 66, art. 1, in axiomate.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Nullus rapiendi modus, ubi nulla mensura est cupiendi. Lib. 1, *de Cain et Abel*, cap. 5.





2. Rapere iis, qui non læserint, plerique sibi existimant gloriosum. Super *Psalm.* XXXV.

3. Qui injustum bellum agunt, in omnibus quæ auferunt ab eis contra quos præliantur, rapinam faciunt. Part. 2, tit. 1, cap. 12, § 4. S. ANTONIN.

4. Rapina quinque modis committitur : usurpatis dominiis, in publicis bellis, in manifestis latrociniis, in pædagiis, et gabellis indebitis, in injustis talliis et damnis. *Ibid.*, cap. 12, § 3.

5. Quidquid ab invito sumitur, injuriose aufertur. Epist. 54, *ad Macedonium*. S. AUGUST.

6. Cruciantur quibus auferuntur temporalia, quia diligunt ea, illi autem qui auferunt gaudent : sed talis lætitia, cæcitas est, et summa miseria : ipsa enim magis implicat animam, et ad majora tormenta perducit. *Prosec.*

7. Gaudet et piscis quando hamum non videns, escam devorat : sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur : sic sunt omnes qui de bonis temporalibus beatos se esse putant; hamum enim acceperunt, et cum illo sibi vagantur; veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint.

8. Illi qui auferunt bonis temporalia, nihil nocent, quia hoc eis auferunt, quod non diligunt : nam quod diligunt, et unde beati sunt, auferre illis nemo potest. *De Agone christiano*, cap. 7.

9. In homine interiore animus res est, rapina actus est. *De Perfect. justitiæ.*, cap. 2, ratiocinat. 4.

10. O piscis male! prædam vis de parvo, præda efficieris majori. Super *Psalm.* LXIV, vers. 6.

11. Rapere vis? quid invenis? quid perdis? o



007355

lucra damnosa! invenis pecuniam, perdis justitiam. *Prosec.*

12. Pauper sum, non habeo : ideo rapere vis? quid rapias vides, a quo rapiaris non vides. Nescis circuire inimicum tanquam leonem rugientem, et quærentem quid rapiat. Super *Psalm.* LI, vers. 10.

13. Subtrahuntur tibi quæ Deus dedit, numquid subtrahitur quid dedit? Super *Psalm.* XXXIV, vers. 3 : *Salus tua ego sum.*

14. Adam et Eva rapere voluerunt divinitatem, perdiderunt felicitatem. Super *Psalm.* LXVIII, conc. 2, vers. 6.

15. Qui aliena quomodolibet injuste percipit, ipse sibi regni cœlestis aditum claudit. *De Conflictu vitiorum et virt.*, cap. 18.

16. Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, putas ubi mittendus est, qui invasit alienam? *Prosec.*

17. Si cum diabolo ardere habet, qui nudum pauperem non vestivit, putas ubi arsurus est, qui expoliavit? *De Verbis Dom.*, serm. 20.

18. Rides, quia pecuniam rapis : ride, ride, veniet qui exigat. *Ibid.*, serm. 24.

19. Pœnale est occulte auferre, multo majoris pœnæ est visibiliter eripere. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2, causa 14, quæst. 5, can. *Pœnale.*

20. Multi rapiunt res alienas donaturi suas. Tract. 45, super *Joan.*

21. Quantumcunque cupiditas rapiat, necesse est in una hora totum dimittat. Homil. 48, *ex* LIII *Homil.*, cap. 1.

V. BEDA. 22. Raptores alienarum rerum, ipsi quandoque rapientur ad interitum. In suis *Proverb.*, verbo *Raptores.*

S. BONAV. 23. Non solum debet esse cura, ne nostra homines rapiant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Super *Luc.*, cap. 6, in illud: *Qui aufert quæ tua sunt.*

24. Mirum est quod non timent homines, quod post buccellam, quam de rapina acquirunt, intret in eos Satanas. Serm. 1, *Dom.* 3, *Quadrag.*

25. Heu? hodie quidam perdiderunt simplicitatem columbæ, et assumpserunt ferocitatem aquilæ, quæ parvas et magnas aves suo substernit dominio per rapinas, et quas non potest contingere rostro, saltem conturbat imperio. Serm. *de S. Catharina.*

26. Quæ animalia viventia de rapina sic insudant rapinæ et prædæ, ut nostri temporis homines? *Prosec.*

27. Nam leo accepta præda, quiescit ad tempus, sed nunquam quiescit homo : unde bestia nunquam habet memoriam prædæ, nisi fame necessitatis urgente; tunc enim cum nimium famescit, prædam quærit, qua accepta mox prædandi perdit memoriam.

28. O confusio humana! ut non prædetur bestia fera, nisi necessitate vitæ urgente; et prædetur nobilissima creatura sola libidine avaritiæ inducente. Serm. 1 *de Sanctis Apostolis.*

CASSIODOR. 29. Non potest crimen rapinæ indigentia tollere, nec quod vindictæ subjacet, excusare. Super *Psalm.* LXI, vers. 10 : *Et rapinas nolite concupiscere.*

S. CYRILLUS HIEROSOL. 30. Non rapias aliena, et cessabit rapina. *Catech.* 2.

S. EUSEBIUS CÆSARIENS. 31. Rapaces substantias et labores hominum, tanquam infernus insaturabiliter deglutiunt. Epist. *ad Damas. Pap. de morte D. Hieron.*

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 32. Quid damnationis erit spoliasse pauperem, quem summum crimen est non pavisse? Hom. 10 *ad Monachos.*

FRANCISCUS TITELMAN. 33. Mollibus et delicatis hominibus, qui in luxu simul et otio vitam transigere volunt, familiare esse solet, rapinis incumbere. In *Annot.*, super cap. I *Job.*

34. Qui abstulit injuste alteri quod habebat charissimum, dignus est et ipse quod habet charissimum male perdere. In *Elucid.*, super cap. XXXI *Job.*

S. GREGOR. MAGNUS. 35. Subito exitu urgente invisibiliter rapitur, qui visibiliter rapiebat : vidit ipse quos rapuit, sed quis illum in morte rapiat, non videt. Lib. 25 *Moral.*, cap. 3.

36. Domum pauperis confringit, qui eum quem per potentiam conterit, spoliare quoque per avaritiam non erubescit. *Ibid.*, lib. 15, cap. 12.

37. Is qui rapere sinitur, cæcatus mente culpam auget : is vero qui rapinam patitur, jam in ejusdem rapinæ damno pro alia quam ante perpetravit culpa feritur. *Ibid.*, lib. 11, cap. 2.

38. Si tanta pœna mulctatur, qui non dedisse sua convincitur : qua pœna feriendus est, qui redarguitur aliena abstulisse? *Ibid.*, lib. 15, cap. 12, super illud Job XX : *Quoniam confringens nudavit.*

39. Quanta damnatione plectendi sunt, qui rapiunt aliena, si tanta animadversione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt? Part. 3 *Pastor.*, cap. 1, admonit. 21.

40. Occasio rapiendi subtrahitur, si bene prius jus possidendi disponatur. *Ibid.*, admonit. 22.

41. Qua pœna mulctandus est, qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur? Hom. 40 super *Evang.*, super illud *Luc.* XVI : *Homo quidam induebatur purpura.*

42. Plerumque, quod est gravius, sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Homil. 1 super *Evang.*



43. Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore alienas invadere non oportet. Lib. 2 in *Regist.*, ind. 11, cap. 81, epist. 43, *ad Bonif. episc. Regitan.*

S. GREGOR. NAZ. 44. Opes ex rapina collectæ, nocentissimæ sunt, et impiissimæ. Super *Ecclesiasten.*, cap. 5.

S. HIERON. 45. Amico quippiam rapere, furtum est : Ecclesiam vero fraudare, sacrilegium est. Epist. 2, *ad Nepotian.*

46. Accepisse quod pauperibus erogandum sit, et esurientibus plurimis vel cautum esse velle, vel timidum : aut, quod, apertissimi sceleris est aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. *Ibid.*

47. Omnis rapina mixta violentiæ est : nisi enim vis fuerit illata, rapina non proficit. Lib. 6 super *Ezech.*, cap. XVIII, super illud : *Per vim nihil rapuerit.*

HUGO CARD. 48. Quidam quanta largiuntur respiciunt, sed quanta rapiunt non attendunt : et ideo quæ largiuntur, in sacco pertuso reponunt. Super *Ecclesiastic.*, cap. XXXIV.

49. Officiales potentum parva rapiunt, quia majora non possunt. Super *Levit.*, cap. 11.

S. JOANNES CHRYSOST. 50. Rapere et invadere violenter aliena, non humanæ mansuetudinis, sed immanitatis est belluarum; quin imo ipsis quoque deteriores sunt, qui in alienum transeunt affectum. Homil. 22 super *Matth. Oper. perf.*

51. Non tua rapi, sed aliena te rapere, tibi malum est : si rapuisti, acerrime teipsum accusa, et restitue : sin vero alius tua rapuit, non parva tibi sedulitate orandum est pro illo, qui sibi maxime profuit. *Ibid.*, homil. 32.

52. Pejor multo quam cædes, rapina est, paulatim pauperem consumens. *Ibid.*, hom. 53.

53. Lex est ut alterius non tollas, et si tuum non des : gratia autem ut alterius non tollas, et tuum des. Hom. 12 super *Matth. Oper. imperf.*

54. Nihil turpius rapina, nihil scelestius. Hom. 12 super *Joan.*

55. Quidnam rapacis hominis oculis impudentius? quid pervicacius? quid cani similius? non enim tam impudens canis visus est, quam hic, cum undique omnia diripit; quid hujus manibus scelestius? Hom. 9 super I *Cor.*

56. Raptores ferinas non tantum manus habent, sed feris longe sæviores immanioresque : ursi namque et lupi, cum ad satietatem ederunt, cibo abstinent, hi autem nunquam satiantur. *Ibid.*

57. Tu, si pecudem fera lacerat, ægre fers : cum autem in proximum tuum id tu facis, nihil mali te facere arbitraris. *Ibid.*

58. Nihil omnino est quod Deum sic exacerbet sicut rapere et violentia opprimere, et fraudare proximum. Hom. 23 super II *Cor.*

59. Perjurat quisque ut rapiat. Hom. 7 super II *Tim.*

60. Cæde pejor est rapina, paulatim pauperem devorans. Hom. 33, *ad Popul. Antioch.*

61. Nihil animam ita fœdam reddit, sicut rapina. *Ibid.*, hom. 36.

62. Rapax fur est et latro; illo longe deterior, quanto et violentior. *Ibid.*, homil. 68.

S. IRENÆUS. 63. Quomodo justus, qui aliena rapit? Lib. 5 *advers. Hæres.*, cap. *Traductis.*

S. ISID. HISP. 64. Magnum scelus est, res pauperum præstare divitibus, et de sumptibus inopum acquirere favores potentum. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 64, sent. 18.

65. Qui aliena quolibet modo injuste præripit, ipse sibi regni cœlestis aditum claudit. *De Conflictu vitior. et virtut.*

LACT. FIRM. 66. Cupidi bonis artibus assequi non possunt, malis assequuntur, fraudant, rapiunt, spoliant, insidiantur, abjurant. Lib. 6 *de Divin. Inst.*, cap. 1.

S. LAURENT. JUSTIN. 67. Non mediocre inter cætera cognoscitur esse delictum, cum quis res furtive diripit alienas. *De Regim. prælat.*, cap. 12.

PETRUS BLESENS. 68. Nunquam pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt eventus auspicium. Epist. 112, *ad Aurelian. episcopum.*

S. PROSPER. 69. Nihil calamitosius, nihilque miserius eo, quem locupletem fraudes faciunt ac rapinæ. Lib. 2 *de Vita contemplat.*, cap. 13.

SALVIANUS. 70. Interrogo qui sint, qui spoliantibus adversariis cedant? immo qui sint, qui adversarios suos non spoliare conentur? *Prosec.*

71. Tam procul enim abest, ut cum tunicis etiam alia relinquamus, ut si quo modo possumus, pallium simul adversariis, tunicasque tollamus.

72. Tam devote enim mandatis Dominicis obedimus, ut non sufficiat nobis, quod adversariis nostris, etiam minima vestimentorum nostrorum parte non cedimus, nisi eis quantum in nobis est, si res sinat, cuncta rapiamus. Lib. 3 *de Gubern. Dei.*

73. Cur tibi injustitia nil amicius? cur avaritia nil jucundius? cur rapacitate nil charius? cur nil judicas pretiosius, cur nil præstantius, quam rapinam? *Ibid.*, lib. 5.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 74. Detrahere alteri sui commodi causa magis est, contra naturam, quam mors, quam cætera cuncta quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Lib. 3 *de Offic.*

75. Suum cuique incommodum ferendum est

potius, quam de alterius commodis detrahendum. *Ibid.*

76. Homo justus, quem sentimus bonum virum, nihil cuiquam quod in se transferat, detrahet. *Ibid.*

SENECA. 77. Nihil eripitur, nisi retinenti. *De Divina Provid.*, cap. 5.

78. Nulli cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti duravit in posterum. Epist. 74.

79. Gaudemus, miseri, si quid invasimus, invadendique aliquos spes vana delusit : vilem prædam, magno aliquo incommodo luimus, at inde fallimur. *Ibid.*

80. Non facias tui juris, quod alieni est. Epist. 77.

81. Raptor late possidet, sed multum debet : habet domum formosam, sed alienis nummis paratam. Epist. 87.

SIXTUS PHILOSOPH. 82. Si quæcunque in hoc mundo habes, aliquis auferat tibi, ne indigneris. *Sententia* 12.

83. Omnia auferenti a te cede, præter libertatem. *Ibid.*, sent. 14.

84. Nihil pretiosum ducas, quod auferre a te possit homo malus. *Ibid.*, sent. 122.

85. Quod non posuisti, ne tollas : sed sufficiant tibi, quæ tua sunt. *Ibid.*, sent. 254.

Vide etiam tit. *Ædificium*, sent. 38; *Avaritia*, sent. 46; *Fames*, sent. 52; *Militia*, sent. 93; *Panis*, sent. 37; *Pecunia*, sent. 97, 134, *Restitutio*, sent. 23; *Vita æterna*, sent. 156.

## RARITAS.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Usu etiam pretiosa et rara degenerant, quorum autem difficilis possessio, eorum grata fruitio. *Prosec.*

2. Ipse sol post noctem est gratior, ipsa lux post tenebras splendidior, et post vigilias sopor dulcior. *De Helia et jejunio*, cap. 9.

S. AUGUST. 3. Cum res quædam rara est, causa est admirationis. Epist. 101.

4. Nullum corpus crescit. nisi rarescat. Lib. 10 *de Genesi ad lit.*, cap. 26.

5. Quæ sunt rara, ipsa sunt mira. Lib. 21 *de Civit. Dei*, cap. 8.

6. In hoc errant homines, quod subdunt, pretiosa vilioribus. *De Mendacio*, cap. 18.

S. BERNARD. 7. Omne rarum pretiosum est. Epist. 1, *ad Robertum nepotem suum.*

8. Id quod est venustius, studiosissime quæritur; et quod rarius invenitur, pretiosius emitur. In *Apolog. ad Guillelm. abbat.*

S. BONAV. 9. Omne quod est melius, est etiam rarius in mundo. Lib. 2 *de Profectu relig.*, cap. 45.

GLOSS. ORD. 10. Illa quæ rara sunt mirantur homines, et non consueta. Super *Ecclesiastic.*, cap. 31.

GRATIANUS. 11. Rarum est omne, quod magnum est. In *Decret.*, dist. 60, can. *Si officia.*

S. HIERON. 12. Ardentius appetitur quidquid est rarius. *Prosec.*

13. Rara est virtus, nec a pluribus appetitur. Epist. 6, *advers. Vigilant.*

14. Omne quod rarum est, plus appetitur. Epist. 45, *ad Evagrium.*

15. Pretiosum dicitur omne, quod rarum est. Lib. 5 super *Isaiam*, cap. XIII, super illud : *Pretiosior erit vir.*

16. Quod raritate dulce est, assiduitate in amaritudinem vertitur. Lib. 3 super *Oseam*, cap. XIII, super illud : *De manu mortis.*

S. JOANNES CHRYSOST. 17. Rarum omne, pretiosum est. Hom. 17 super I *Tim.*

18. Res pretiosa vili pretio non comparatur. Hom. 35 super *Matth. Oper. imperf.*

S. JOANNES DAMASC. 19. Contractum ac rarum, est bonum. Lib. 3 *Parall.*, cap. 67.

S. SYNESIUS EPISCOPUS. 20. Quæ vilisssima sunt, cum pretiosissimis sociari natura non patitur. In *Encomio Calvitii.*

## RATIO.

S. AUGUST. *Definitio.* Ratio est quidam animi motus, visum mentis acuens, veraque a falsis distinguens. *De Spiritu et anima*, cap. 1.

Ratio est animi aspectus, quo per seipsum verum intuetur. *De Spiritu et anima*, cap. 1.

S. BONAV. Ratio est animi aspectus, quo bonum et malum discernit, virtutes eligit, Deum diligit. Part. 3 *Centiloquii*, sect. 22.

SENECA. Ratio nihil est aliud, quam in corpus humanum pars divini Spiritus mersa. Epist. 66.

S. ISIDORUS HISPALENS. *Differentia.* Inter mentem et rationem hoc differt. Mens est animæ pars præstantior. a qua procedit intelligentia : ratio vero est motus quidam animi visum mentis acuens, veraque a falsis distinguens. Lib. 2 *de Differentiis*, different. 19.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Habeat caput in omnibus rationem, et finis modum. Lib. 1 *Offic.*, cap. 22.

2. Si appetitus rationi obediat, facile id quod deceat in omnibus officiis conservari potest. *Ibid.*, cap. 24.

3. Nihil est magis, quo homo cæteris animantibus præstet, quam quod rationis est particeps, *Ibid.*, cap. 26.

4. Plerumque dum animus exagitur, amittitur ratio. *Ibid.*, cap. 47.

5. Bona est ratio, quæ et hostilem plerumque affectum exuit, et dolorem injuriæ sequestrat Lib. 1 *de Jacob*, cap. 2.

6. Ratio evidens exemplis non indiget. Lib. 8



super *Luc.*, cap. XVIII, in illud : *Interrogavit eum quidam.*

7. Sicut est bestiarum nihil velle cum ratione, ita hominum debet esse nihil velle sine ratione. *De Conceptu virginali*, cap. 10.

S. ANTONIN. 8. In rebus dubiis et incertis ratio non debet proferre judicium absque inquisitione rationis præcedente. Part. 4, tit. 2, *de Prudentja*, cap. 1, § 4.

9. Debet homo bonum rationis præponderare omnibus bonis extrinsecis. Part. 4, tit. 3, cap. 7, § 15.

S. AUGUST. 10. Ad cœlestia arcana penetranda. ratio per se non sufficit, nisi a Deo adjuta fuerit. *De Spiritu et anima*, cap. 37.

11. Ratio vis est animæ, super corporalia et infra spiritalia collocata : secernit enim vera a falsis, quod est logicæ : virtutes a vitiis, quod est ethicæ : et per experimenta rerum investigat naturas, quod est physicæ, in his vero tribus tota philosophia consistit. *Ibid.*

12. Cum in rebus ipsis fallacibus ratione totum agere homines moliantur, quid sit ipsa ratio, et qualis sit, nisi perpauci, prorsus ignorant. Lib. 2 *de Ordine*, cap. 11.

13. Disciplinarum omnium excogitatrix est ratio. *Ibid.*, cap. 12.

14. Maxima multitudo est hominum, qui si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facillime decipiuntur. *De Quantitate animæ*, cap. 7.

15. Motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo, dicendus est. Lib. 1 *de Lib. arbit.*, cap. 8.

16. Ratio ad intellectum, cognitionemque perducit hominem. *De Vera Religione*, cap 24.

17. Aspectus animæ, ratio est Lib. 1 *Soliloq.*, cap. 6.

18. Recta ratione male uti nemo potest. Lib. 2 *de Lib. arbit.*, cap. 18.

19. Sensus rationi vicinus est. *De Genesi ad lit. imperf.*, cap. 15.

20. Ut est optimi propositi, laudandique consilii facile ad veriora traduci : ita improbi obstinatique judicii est, nolle citius ad tramitem rationis inflecti. *Ibid.*, lib. 2, cap. 16.

21. Ratio operibus, et opera ratione indigent : ut quod mente concipimus, opere perpetremus. Habet. in *Glossa*, super *Lev.* VIII : *Cumque lavisset eos.*

22. Sana ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem et exempla concordant. *De Civit. Dei*, lib. 1, cap. 23.

23. Melior est ratio nostra, quam corpus nostrum. *De Immort. animæ.*, cap. 2.

24. Nihil est ipsa ratione potentius. *Ibid.*, cap. 6.

25. Non extingui animus potest, nisi a ratione separatus ; separari autem non potest, non potest igitur interire. *Ibid.*

26. Omne quod scimus, ratione scimus. *De Quant. animæ*, cap. 29.

27. Ratio est legis anima. Dib. 1 *de Lib. arb.*, cap. 6.

28. Res qua homo excellit, ut ei nulla bestiarum, ipse autem multis imperare possit, ratio dici solet. *Ibid.*, cap. 7.

29. Qui scit se vivere, ratione non caret. *Ibid.*

30. Quidquid scimus, id ratione comprehensum tenemus. *Ibid.*, lib. 2, cap. 3.

31. Seipsam cognoscit ratio quæ cognoscit et cætera. *Ibid.*, cap. 19.

32. Ratione fit quisque præcepti capax, cui fidem debet. *Ibid.*, lib. 3, cap. 24.

33. Ipsa ratione homo melior est quam pecus. Lib. 2 *de Gen. contra Manich.*, cap. 11.

34. Distinguere, et discernere, nonnisi ratio potest. *Ibid.*

35. Difficilis est ratio, qua intelligit homo in seipso aliud esse rationale quod regit, aliud animale quod regitur *Ibid.*

36. Nihil in Ecclesia catholica salubrius fit, quam ut rationem præcedat auctoritas. *De Moribus. Eccles.*, cap. 25.

37. Ab inferioribus ratio ad superiora conscendit. Lib. 12 *de Gen. ad lit.*, cap. 11.

38. Ratio cum ratione confligat. *De Utilit. cred.*, cap. 1.

39. Recte factum est, quod a recta ratione proficiscitur. *Ibid.*, cap. 12.

40. Quando quisque nascitur, antequam uti possit ratione, non regitur nisi sensibus carnis. Tract. 15 super *Joan.*

41. Cum cœperit anima capax esse rationis, aut a sapiente mente regitur, aut ab errore : sed error non regit, sed perdit. *Ibid.*

42. Dedit tibi Deus oculos in corpore, rationem in corde. Homil. 36 *ex* LIII *Homil.*, cap. 2.

S. BASILIUS MAGN. 43. Tristitiæ medicus est ratio. Conc. 5 *de Gratiar. actione.*

44. Quanto caro humana inferior est viribus corporis, tanto superior est supellectile rationis. Homil. 10 *in Hexam.*

V. BEDA. 45. Ratio humana quot perversis cogitationibus renititur, tot coronas cœlestes promeretur. In suis *Prov.*, verbo *Ratio.*

S. BERNARD. 46. Ipsis bestiis quodammodo bestialior est homo ratione vigens, et ratione non vivens. Serm. 35 super *Cant.*

47. Quid magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere ? Epist. 90, *ad Innoc. papam.*

48. Intellectus rationi innititur. Lib. 5 *de Consid. ad Eugen. Pap.*

49. Ratio data est voluntati, ut instruat illam, non destruat. *De Grat. et lib. arbit.*

50. Ratio aspectus animi est, quo per seipsum, non per corpus, verum intuetur, aut ipsa veri contemplatio. *De Vita solit.*

51. Habet ratio suos quosdam tramites certos, et directas semitas, quibus incedit. *Prosec.*

52. Ratio per id quod non est, in id quod est videtur proficere. *De Natura et dignit. amoris*, cap. 8.

53. Ratio docet amorem, et amor illuminat rationem : et ratio cedit in affectum amoris, et amor acquiescit cohiberi terminis rationis. *Ibid.*

S. BONAV. 54. Bestialius nihil est homine rationem habente, et ratione non utente, et ideo quasi bestia reputatur. Serm. 4, *Dom.* 3, *post Pent.*

55. Ita ratio cæca est in anima, quod nec cognoscit seipsam, cum ipsa sit ex iis, quæ oculis carnis videri non possunt : et sic non solum cæca est, sed etiam stulta. Lib. 1 *de Profectu relig.*, cap. 8.

S. BRUNO. 56. Sicut ratio in Adam perfecta creata, per ejus peccatum debilitata est : sic et unaquæque anima perfecte rationalis creatur, quæ postea per ipsius carnis vitiosæ, cui conjungitur, oppressionem debilitatur. Super *Psalm.* XXXIX.

DIDYMUS. ALEX. 56 *bis.* Omnis particeps rationis factus est homo, ut esset probus et non pravus. Lib. *contra Manich.*

DIONYSIUS CARTHUS. 57. Tunc robustius ratio contra peccata erigitur, dum ira subita rationi famulatur. Super *Epist. ad Ephes.*, cap. IV, art. 4.

EVAGRIUS. 58. Vitæ a ratione adversæ dux et gubernator dæmon est. Habet. apud Joan. Damasc., lib. 1 *Parall.*, cap. 24.

GLOSS. INT. 59. Aditus cordis contra pravos motus ratione munitur. Super illud *Genes.* XIX : *Clauserunt ostium.*

GLOSS. ORD. 60. Ubi non est ratio, ibi non est nisi confusio. Super *Josue*, cap. VIII.

61. Omnia ex utilitate, et nihil sine ratione. Super *Psalm.* CXXXIV.

S. GREGOR. NAZ. 62. Cum ratione præditi sumus, ratio nobis curæ sit, rationique inserviamus. Orat. 17, *de Paupert.*

S. HIERON. 63. Quomodo equi absque rectore præcipites ruunt, ita corpus sine ratione et imperio animæ in suum fertur interitum. Lib. 2 *advers. Jovian.*

HUGO A S. VICTORE. 64. Sunt quædam infra rationem, quædam juxta rationem, quædam supra rationem. Infra ationem sunt, quæ sensu percipimus, sicut dua et mollia, calida et frigida, candida et nigra : juxta rationem sunt, et pervia rationi, quæ ratione percipimus, sicut commoda et incommoda, vera et falsa, justa et injusta : supra rationem sunt, quæ nec sensus docet, nec ratio persuadet ; sed aut divina revelatione comprehenduntur, aut Scripturarum auctoritate creduntur. Lib. *de Anima*, cap. 7.

HUGO CARD. 65. Ratio est vir, voluntas caro, corpus mancipium : ratio famelica est veritatis, voluntas charitatis, corpus fortitudinis. Super *Genes.*, cap. XII.

66. Deficit ratio præ ignorantia veritatis, unde cæcitas provenit cordis. *Ibid.*, cap. 48.

67. Ratio est rex in regno animæ, quæ omnes motus bestiales cogitationum, affectionum stare facit ut non procedant ad consensum vel ad opus. Super *Prov.*, cap. 19.

68. Reprobat ratio malum, et approbat bonum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. VII.

S. JOANNES CHRYSOST. 69. Similes omnes sumus, non secundum virtutem, sed secundum formæ rationem. Homil. 23 super *Gen.*

70. Si contendis irrationabilem rationem placare : et illum non placas, et teipsum subvertis. Homil. 38 super *Matth. Oper. imperf.*

71. Nihil pejus est, quam humanis rationibus, spiritualia subjicere. Homil. 24 super *Joan.*

72. Nihil quod rationem requirit, per id quod ratione caret, geri potest. Homil. 17 super *Acta Apostolorum.*

73. Pejus est comparari bestiis, quam nasci : nam naturaliter non habere rationem, tolerabile est : sed rationis decoratione decoratum irrationabili naturæ comparari, voluntatis est crimen. Serm. *de Ascens.*

74. In peccatoribus corrupta est ratio. Homil. 11 super I *Cor.*

75. Ratione reges efficimur, si voluerimus absurdis imperare cupiditatibus : nam is regnat qui talis est, et verius quam qui diademate redimitus est. Homil. 3 super II *Cor.*

76. Equus homine est bellicosior, aper robustior, lepus velocior, pavo formosior, cygnus canorus magis, elephas major, aquila visu acutior : omnes denique volucres ditiores, sed illas homo superat ratione ; quando enim ratione non utitur ut oportet, illis pejor est. Serm. 7 super *Epist. ad Phil.*

77. Nihil temere, nihil stulte, sed omnia recto rationis judicio exequenda sunt. Lib. *contra Gentiles.*

S. JOANNES DAMASCEN. 78. Natura comparatum est, ut pars ea, in qua ratio inest, ei quæ rationis expers est, dominetur. Lib. *de Fide orthod.*, cap. 12.

79. Homo, qui rationis est particeps, qua ex



parte animal, cum sensu appetit : qua rationis particeps, rationem ducem in appetendo sequitur, liberosque habet appetitus. *De duabus Christi volunt.*

S. ISID. HISP. 80. Interpone tibi in omnibus rationem, prævaleat tibi ratio, tempera animum ratione, omnem vim reprimat ratio. Lib. 1 *de Synonym.*

81. Tu es dux vitæ, o ratio, tu magistra virtutis, tu es quæ tanquam regula directum ducis, tu es quæ a recto nunquam descedis, tu es quæ a veritate nunquam averteris. *Prosec.*

82. Tu nutrix bonorum, magistra morum, indagatrix virtutum, sine qua nihil vita hominis nosse potest.

83. Per te cunctis vivendi regula datur, per te de vitæ pravitate ad meliorem vitam homines adducuntur.

84. Præceptis tuis formantur animæ ; si quid distortum est, tu corrigis : si quid corrigendum est, tu emendas.

85. Nihil te charius esse debet, nihil te dulcius. Lib. 2 *de Synonym.*, cap. 17.

LACT. FIRM. 86. Quidquid est, quod habet rationem, ratione sit ortum necesse est. *De Ira Dei*, cap. 10.

87. Pravissimum est, cum ratio corporis recta sit, quod est temporale ipsum vero animum, qui est æternus, humilem fieri. Lib. 2 *de Divin. inst.*, cap. 1.

88. Majoribus nulla ratione reddità, rationis est credere. *Ibid.*, cap. 7.

89. Vera lex est recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocat ad officium, jubendo, vetando. *Ibid.*, lib. 6, cap. 8.

S. LAURENT. JUSTIN. 90. Dedit Deus rationis judicium, ut quid præstantius sit, intelligere valeamus. *De casto connub.*, cap. 13.

S. LEO I. 91. Facilis ad exhortandum est ratio, et efficax ad suadendum. Serm. *in Natali S. Laurentii.*

PHILO JUD. 92. Quidquid ratione caret, turpe est : sicut decorum quidquid cum ratione conjunctum. Lib. 2 *Legis allegor.*

93. Recta ratio, quæ legis vicem obtinet, non est corruptibilis. *De Temulent.*

94. Sicut vir ædes, sic intellectus rationem inhabitat, proinde snos conceptus in ratione, tanquam in domo propria dispositos ostendit. *De migrat. Abrahami.*

95. Recta ratio perennis virtutum fons est. Lib. *de Plant. Noe.*

96. Sicut vir ædes, sic intellectus rationem inhabitat. *De migrat. Abrahami.*

97. Est vera lex recta ratio, non hujus aut illius mortalis institutum in tabulis cantulisve scriptum inanimis : sed immortalis ipse stylo naturæ sempiternæ in mente immortali exarata. Lib. *Quod probus liber sit.*

98. Omnia ea turpia sunt, quæ rationem comitem non habent : quemadmodum contra, ea quæ cum ratione conjuncta sunt, honesta ac laudanda. Habet. apud Joannem Damascenum, lib. 1 *Parall.*, cap. 63.

S. PROSPER. 99. Ratio est acies mentis. Lib. 3 *de Vita contemplat.*, cap. 27.

RUPERT. ABB. 100. Lux rationis etiam lucet in tenebris, id est, in conscientia illorum, qui male agendo tenebræ facti sunt. Lib. 1 *Et lux in tenebris lucet.*

THALASS. 101. Proprium est rationalis, ut rationi subdatur. *Hecatontad.* 2, sent. 5.

102. Seipsum falsis rationibus palpans, seipsum seducit. *Ibid.*, sent. 86.

S. THEODOR. 103. Qui rationis honore sunt præditi, eos ratione oportet uti ad id quod convenit. Super IV *Reg.*, quæst. 28.

THEOPHILACTUS. 104. Ratio lux est, quæ ducit hominem ad ea quæ sunt facienda. Super *Joan.*, cap. 1 in illud : *Et vita erat lux hominum.*

S. THOMAS AQUINAS. 105. Bonum hominis, est secundum rationem esse et malum hominis, est præter rationem esse. 1, 2, quæst. 71, art. 2.

106. Ratio in homine habet locum dominantis, et non subjecti dominio. Part. 1, quæst. 96, art. 2.

107. Rationis regula est radix boni honesti, quam transcendit immoderata tristitia. 1, 2, quæst. 39, art. 2.

108. Omnium humanorum operum principium, ratio est : et quæcunque alia principia humanorum operum inveniantur, quodam modo rationi obediunt. 1, 2, quæst. 58, art. 2.

S. THOMAS A VILLANOVA. 109. Ratio est regula humanorum actuum, et totius vitæ lumen. Serm. 4 *post Pascha.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 110. Homo mente, magna ex parte vivit, et ratione. Sect. 30 *Problem.*, quæst. 11.

111. Homo solus rationem habet. Lib. 7 *Polit.*, cap. 13.

112 Non Sinamus hominem dominari, sed rationem : qui id facit, fit tyrannus. Lib. 5 *Ethic. ad Nicomach.* cap. 6.

CICERO. 113. Vitium est non parere rationi. Lib. 4. *Tusc. quæst.*, num. 39.

114. Ratione nihil potest esse præstantius. Lib. 2 *de Natura deorum*, num. 16.

115. A Deo rationem habemus : bonam autem rationem, aut non bonam, a nobis habemus. *Ibid.*, lib. 3, num. 71.

116. Efficiendum est ut appetitus obediant rationi : eamque neque præcurrant propter temeritatem, nec propter pigritiam aut ignaviam deserant. Lib. *Offic.* 1.

117. Illud præstantissimum est, appetitum obtemperare rationi. *Ibid.*

118. Munus animi est, ratione bene uti : et sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur. Lib. 3 *Tuscul. quæst.*

119. Adhibita ratio, cernit quid optimum sit : neglecta, multis implicatur erroribus. *Ibid.*, lib. 4.

PLATO. 120. Strenue te rationi, veluti medico, curandum præbe. Sizygia 3 *de Rhetor.*

SENECA. 121. Ratio ipsa, cui fræni traduntur tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus. Lib. 1 *de Ira*, cap. 7.

122. Nihil rationis est, ubi semel affectus, inductus est. *Ibid.*, cap. 8.

123. Tanta animorum imbecillitas est, ubi ratio discessit. *De Constantia sapient.*, cap. 17.

124. Si vis tibi omnia subjicere, te subjice rationi : multos reges, si ratio te rexerit. Epist. 37.

125. Sola recta ratio immutabilis, et judicii tenax est : non enim servit, sed imperat sensibus. Epist. 66.

126. Ama rationem : hujus te amor contra durissima armabit : qua valentius nihil est, casum doloremque et injuriam subigit. Epist. 74.

127. Ratio perfecta, proprium hominis bonum est. Epist. 76.

128. Nunquam immodica durarunt, nisi illa moderatrix ratio compescuerit. Epist. 74.

129. Quid stultius turpiusve, quam bonum rationalis animi ex irrationalibus nectere ? Epist. 92.

130. Nisi ubi rationi locus est, bonum non est. Epist. 124.

131. Cætera quidem in sua natura perfecta sunt, non tamen vere perfecta, a quibus abest ratio. *Ibid.*

132. Mira ratio est, quæ non vult prædicari, quod gaudet intelligi. *De Moribus.*

SIXTUS PHILOSOPH. 133. Non verbum, sed ratio præcedat actus tuos. *Sent.* 66.

134. Ratio, quæ in te est, vitæ tuæ lux est. *Ibid.*, sent. 115.

Vide etiam tit. *Auctoritas*, sent. 15, 16, 17, 18, 19; *Delectatio*, sent. 86; *Homo*, sent. 47, 61, 66; *Juventus*, sent. 29; *Liberum arbitrium*, sent. 102; *Tractio*, sent. 14.

## RATIONEM REDDERE.

*Vide* REDDERE RATIONEM.

## RECIDIVATIO.

### SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Non fiat voluntatis tuæ recidiva infirmitas. Non ullus intercursus criminum. Lib. 3, epist. 11, *ad Irenæum.*

S. ANTON. 2. Semel culpa remissa, recidivo dolore iterum ad animum revocari non debet. Part. 4, tit. 5, *de Justitia*, cap. 13, § 3.

S. AUGUST. 3. Nullum scelus coram Deo tam abominabile fit, quam præterita peccata unicuique nostrum reminiscendo gaudere, et inde exultare. *De salutar. docum.*, cap. 11.

4. Nemo retro respiciat, nemo pristinis suis delectatur. Super *Psalm.* LXXXIII.

5. Noli retro redire, retro redit qui ad ea revolvitur unde jam abscesserat. *De Verbis Apostoli*, serm. 15.

6. Multi post juramentum sanctæ professionis, revertuntur ad venenum pravæ consuetudinis. *Prosec.*

7. Quibus melius fuisset veritatem non agnovisse, quam post agnitionem retrorsum abire.

8. In hoc uno prudentiam imitari debemus serpentis, quia venenum deponit, sed non quia iterum venenum resumit. Serm. 4 *ad Fratres in eremo.*

9. Vulnus iteratum sanatur tardius : frequenter peccans et lugens, vix veniam meretur. *Prosec.*

10. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata.

11. Nihil valet veniam a malis poscere, et denuo iterare. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 2 *de Pœnit.*, dist. 3, can. *Inanis.*

12. Iterata iniquitas concessam misericordiam exinanivit. Lib. *Meditationum*, cap. 3.

S.BERNARD. 13. Recidere quam incidere deterius est. Serm. 54, super *Cant.*

14. Vide ne patiaris recidivum, quia pro certo non tam facile denuo poterit inveniri remedium. Epist. 131, *ad Mediolanenses.*

BOETIUS. 15. Si ad priora deflexeris, extra ne quæsieris ultorem, tu te ipse in deteriora detrusisti. Lib. 4. *de Consol. philos.*, prosa 4.

S. BONAV. 16. Ubi non est sepes pœnitentiæ, quæ animam claudat contra recidivum, facile dirumpitur possessio virtutum. Titul. 2 *Diætæ*, cap. 1.

17. Si in te redierit gratia, multo amplius timendum est, ne forte contingat pati recidivum : recidivare enim, quam cadere, pejus est. Tit. 6 *Diætæ.*

S.CÆSARIUS ARELAT. 18. Gravi damnatione iterantur crimina, postquam Christi sanguine sunt redempta. Homil. 4.

19. Si peccatores posteaquam redimere peccata cœperint, iterum ad criminum volutabra redierint; efficiuntur eorum posteriora pejora prioribus. Homil. 16.

20. Sicut canis quando revertitur ad vomitum suum, odibilis fit : ita et peccator, quando revertitur ad peccatum suum. *Ibid.*, homil. 35.



21. Omnia crimina vel peccata cito ad nos revertuntur, si non quotidie bonis operibus expugnantur. *Ibid.*, *Epistola ad quosdam.*

S. CYPRIAN. 22. Nullum malum difficilius extinguitur, quam quod faciles reditus habet. *De Spectaculis*, cap. 1.

S. CYRILLUS ALEX. 23. Turpissimum est ac perversissimum, ad priorem stultitiam reverti, atque ad impietatis morbum iterum redire, postquam spiritalem valetudinis firmitatem adepti sumus. Homil. 12 *de Festis Paschal.*

DIONYSIUS CARTHUS. 24. Peccata, quæ recidivando et post recidivum committuntur, enormiora sunt peccatis ante recidivum commissis. *Prosec.*

25. Nam vulnera repetita sunt magis periculosa : et recidivatio propter ingratitudinem sibi annexam, qua quis de priore remissione, illuminatione, et gratia, Deo ingratus est, valde auget et gravat peccata sequentia. Super *Epist.* II *Petri*, cap. II, art. 2.

26. Sicut id quod per vomitum est ejectum resumere, est valde abominabile, fœtens ac turpe : sic peccata pœnitendo deleta reiterare. *Prosec.*

27. Dum post pœnitentiam quis recidivat, quod salubriter evomuit, damnabiliter repetit. *Ibid.*

28. Sicut ex lotione in volutabro efficitur porcus sordidior, quam fuerat ante : ita ex recidivo gravius homo coinquinatur. *Ibid.*

S. DOROTH. 29. Nisi peccata radicitus quis avulserit, sed summitatem tantum abraserit, denuo pullulabunt. *Doctrina* 12.

30. Nihil in te diligas, quod pristunum hominem redoleat. *Ibid.*, doctrina 24.

S. EUSEBIUS EMISSENUS. 31. Quamdiu nova delicta adjiciuntur, vetera non curantur. Serm. *contra Vitia.*

FRANCISCUS TITELMAN. 32. De præterito quod jam dimissum confidimus, cogitandum nobis est, nihilominus ut a recidivo caventes, non iterum in illud ipsum incidamus, vel in aliud sive simile, sive majus. In *Annot.* super *Psalm.* XXXVII, vers. 19.

S. GREGOR. MAGNUS. 33. Frontem cordis in impudentiam atterit culpa frequens, ut quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur. *Homil.* 10 super *Ezech.*

34. Leviter veniens recidiva febris, occidit. *Homil.* 35 super *Evangelia.*

HAYMO. 35. Ipsa districti Judicis ira agitur, ut qui peccatum commissum manu pœnitentiæ cito non tergunt, in aliud commissum cadant. Super *Apocalypsin.*, cap. 16.

S. HIERON. 36. Qui post fidem Christi revertuntur ad vomitum peccatorum, canes sunt. Lib. 1 super *Matth.*, cap. 7, can. 10, num. 52, super illud : *Nolite sanctum dare canibus.*

HUGO CARD. 37. Recidivantes in peccatum, contradicunt titulo crucis Christi ad simitudinem Hebræorum. *Prosec.*

38. Recidivantes in peccatum negant Christum passum fuisse. Super *Psalm.* LV.

39. In peccata ante facta recidivantes, pejores quam ante fiunt. Super *Hierem.*, cap. VII.

40. Qui post pœnitentiam, quam fecerunt, iterum relabuntur, tales tardius et difficilius revertuntur. *Ibid.*, cap. 46.

JOAN. CASS. 41. Satis miserum est, ut cum debeas ad perfectionem tendere, incipias ad inferiora recidere. Lib. 4 *de Cœnob. inst.*, cap. 36.

42. Tamdiu sibi patiens quis videtur et humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio : ad naturam pristinam mox revertitur, cum interpellaverit eum cujuslibet commotionis occasio. *Ibid.*, lib. 8, cap. 17.

S. JOANNES CHRYSOST. 43. Iterum in eadem peccata recidere, hominis plurimum mos est. Homil. 18 super *Gen.*

44. Cogita, o homo, graviorem culpam esse post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. *Prosec.*

45. Indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat : sanitate indignus est, qui post curam semetipsum vulnerat : nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Homil. 2 *de Lapsu primi hominis.*

46. Non repetas factum ; quia cum repetis, ad peccatum redis. Homil. super *Psalm.* LXXXIV.

47. Peccato si accesserit impudentia et temeritas, in illud denuo decidatur necesse est. Homil. 31 super *Epist. ad Hebr.*

48. Peccatorum consuetudo lapsum in pejus trahit. Homil. 22 *ad Populum Antioch.*

S. JOANNES DAMASC. 49. Quod quispiam post actam pœnitentiam, idem rursum scelus admittat, argumentum est primam illius peccati causam minime repurgatam esse. Lib. 1 *Parall.*, cap. 14.

S. ISIDORUS HISPALENS. 50. Qui in Dei amore imperfecti sunt, sæpe se a vitiis separare disponunt, sed pondere vitiorum gravati, rursus ad ea vitia, quæ optant relinquere, revolvuntur. Lib. 2 *de Sum. bono*, cap. 3, sent. 9.

51. Iteratio peccati gravissima est : sicut est, si morbus super morbum veniat, sicut si imber super imbrem occurrat : mora peccandi, immanitatem facit sceleris. *Ibid.*, cap. 23, sent. 11.

52. Labor sine fructu est, et spes vanissima valde : sic peccata plangere, ut non desinatur peccare ; quasi quis instructa destruat, diruta reformet, si quod lavat hodie, polluat et sordidet cras : sic non lotus habetur, sed semper immundus. In *Exhort. ad Pœnit.*

S.LAURENT. 53. Semper ad id quod reliquit consuetudo re-

JUSTIN.
flectitur : more quidem fluminis defluentis in alveum hæc repetit, et quamdam necessitatis legem redeundi ad pristina suo imponit possessori. *De Casto connubio*, cap. 7.

54. Quanto gravius est delictum, et crebrior recidivatio, tanto amplius assidua sit confessio. *Ibid.*, cap. 13.

55. Spei contrarius est frequens casus, et peccati recidivatio. *De Ligno vitæ*, tract. 8, *de Spe*, cap. 4.

S. LEO I.
56. Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Serm. 1 *de Nativit.*

57. Qui serit, non ad id respiciat, quod reliquit : nemo in id recidat, unde surrexit. Serm. 1 *de Resurr. Dom.*

PETR. BLES.
58. Erat tolerabilius non arripuisse propositum pœnitentiæ, quam post pœnitentiam retroire. Epist. 131, *ad Quemdam priorem.*

S. PETRUS CHRYSOL.
59. Nemo sic de ægritudine gratuletur, ut velit in vulnere permanere. *Prosec.*

60. Ingratus medico, inimicus est curæ; qui semper curari æstuat, nec unquam desiderat sanari.

61. Et ita Dei gratiam suis cupit exuberare peccatis, ut sibi cupiat peccata cumulari.

62. Fugienda est dementia ista, fugienda : quæ etiam post curam captiva tenetur amore morborum; recidiva enim lethalis sæpius ægritudo. Serm. 113.

63. Illuc vitia redire nequeunt, ubi Christus cum suis virtutibus commoratur. *Ibid.*, serm. 71.

S. THOMAS A VILLA-NOVA.
64. Recidivum peccati pejus est propter tria : propter ingratitudinem, propter consuetudinem, propter diaboli dominium. Serm. *fer.* 6, *post Dom.* 1, *Quadrag.*

IN VIT. PAT.
65. Omnem causam, quam non abscidit a se homo, iterum in ipsa implicatur. In *Sententiis in fine positis*, sent. 67.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

SENECA.
66. Inconstans non perseverat in eo quod proposuit, sed transilit : et in ea quæ deseruit ac damnavit, redit et revolvitur. Epist. 20.

SIXTUS PHILOSOPH.
67. Fidelis volens esse, præcipue quidem hoc nitere, ne pecces : quod etiamsi forte acciderit, saltem cave ne iteretur id ipsum. *Sent.* 238.

Vide etiam tit. *Confessio*, sent. 69; *Peccatorum remissio*, sent. 82; *Pænitentia*, sent. 51, 191, 192, 193, 194, 195, 196; *Satisfactio*, sent. 18.

## RECONCILIATIO.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AUGUST.
1. Si in veritate vis ut vincatur diabolus inimicus tuus, cito tibi reconcilietur proximus tuus. Serm. 1 *Vigil. Ascens.*

2. Non alia salus animæ est, quam reconciliatio auctori suo. *De Quantitate animæ*, cap. 3.

3. Nemo reconciliatur, nisi ex inimicitiis. Tract. 41 super *Joan.*

4. Non reconciliamur, nisi allato quod in medio est. *Prosec.*

5. Non reconciliamur Deo, nisi solvatur quod inter nos et ipsum separat. *Ibid.*

6. Grandis offensa, nolle placare quem offenderis. In suis *Prov.*, verbo *Grandis.*

D. BERNARD.
7. Sola virtus humilitatis est læsæ reparatio charitatis. Serm. 2 *de Nat. Dom.*

8. Reconciliati nobis, reconciliati etiam proximo, fiducialiter per munditiam cordis reconciliamur Deo. Serm. 1 *Omnium Sanctorum.*

S. BONAV.
9. Reconciliatio cordis parum valet sine satisfactione operis. Serm. 2 *Dom.* 12, *post Pent.*

10. Ille cui injuria facta est, non debet reconciliationem quærere ex debito necessitatis : sed si facit, complet debitum perfectionis. Lib. 5 *Compend. theol. verit.*, cap. 32.

S. ELIGIUS.
11. Qui peccando factus est Deo inimicus, nisi satisfaciendo non potest reconciliari, ut fiat amicus. *Prosec.*

12. Reconciliatio namque eorum est, qui antea inimici fuerunt : et conciliantur amici, reconciliantur inimici. Homil. 4.

S. FABIANUS PAPA.
13. Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciente eo, qui contristavit, acerrimis maceretur inediis, usque dum gratanti animo satisfactionem recipiat. Hab. in *Decret. Gratiani*, part. 1, dist. 90, can. *Si quis.*

GILLEBERT. ANGLUS
14. Quid est reconciliatio, nisi iterata amorum dissidentium conciliatio? Serm. 32 super *Cant.* apud D. Bernard.

S. GREGOR. MAGNUS.
15. Debemus ad proximum quamvis longe positum, longeque disjunctum, saltem mente ire, eique animum subdere, humilitate illum, benevolentia, ac reconciliatione placare. Lib. 4 *Dialogi*, cap. 60.

16. Ille recte sui delicti veniam postulat, qui prius hoc quod in ipso delinquitur, relaxat. *Ibid.*

17. Plerumque ipse homo qui irascitur, discordanti sibi reconciliari appetit, sed ire ad satisfaciendum prior erubescit. Homil. 32 super *Evang.*

18. Difficilis est reconciliatio criminosorum. Lib. 3 in I *Reg.*, cap. 4, super illud I *Reg.* : *Facietis similitudines.*

S. HIERON.
19. Quid agemus nos in die judicii, super quorum iram, non unius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit? Epist. 36, ad Castorinam, super illud : *Sol non occidat super iracundiam vestram.*



20. Ante tribunal Dei reconciliata, seu scissa concordia, aut præmium recuperabit, aut pœnam. *Ibid.*

21. Qua conscientia ad Eucharistiam Christi accedam, et respondebo Amen, cum de charitate dubitem porrigentis, scilicet non reconciliati? Epist. 16, *ad Theophil.*, super illud : *Si offers munus tuum ad altare.*

22. Grandis offensa est, nolle placare offensum. In *Regula*, cap. 21, *de Patientia.*

23. Grandis offensa est, nolle placare quem offenderis. Lib. 1 super *Hierem.*, cap. II, super illud : *Videte verbum Domini.*

24. Pacem labiis promittis, et corde venenum tenes. Super *Psalm.* CXLIX, vers. ultimo.

HUGO A S. VICTORE.
25. Appropinquo ad osculum pacis, qui prius reconciliatus accedere debuissem ad osculum fratris. Lib. 2 *de Claustro animæ*, cap. 23.

26 Sicut ex injustitia, pax et concordia cunctorum solvitur : ita per justitiam universa reconciliantur. Lib. 1 *Miscellan.*, codic 1, tit. 2.

S. JOANNES CHRYSOST.
27. Ante omnia reconciliari cum iis qui nos injuria affecere, peccatorum nostrorum absumptio quædam est. *Prosec.*

28. Tam officiosi in eos simus, qui nos offendere, quam sumus in eos qui vere nobis benefaciunt. Homil. 27 super *Gen.*

29. Cum adhuc tempus est, si quis ex vobis est, qui inimico in quempiam sit animo, operam det ut officiose reconcilietur. *Ibid.*

30. Officiorum assiduitate inimici conciliandi sunt. *Ibid.*, homil. 58.

31. Sacrificium Deo gratum est fratrum reconciliatio. Homil. 16 super *Matth. Oper. perf.*

32. Reconciliatio post inimicitias, vim morbi jam obtinentis e medio tollit. *Ibid.*

33. Si injuriatus cuipiam es, satisfacias abunde, reconcilia te illi : et ne magis oratione tua Deus irritetur, deterge linguam oraturus. *Ibid.*, homil. 52, in illud *Matth.* XV : *Omne quod intrat in os.*

34. Si rogatus reconciliaberis, non mandato Dei, sed studio illius lædentis reconciliatus sis, bravia illi reliquisti. *Ibid.*, homil. 80.

35. Nescimus insani, nescimus quanta in reconciliatione voluptas sit : quam in ipsis inimicitiis intelligere non possumus. *Ibid.*

36. Quanto suavius sit amare injuriam, quam odisse, post depositas inimicitias optime percipies. *Ibid.*

37. Qualis præcessit offensio, talis debet sequi reconciliatio. *Prosec.*

38. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare : si verbis offendisti, verbis reconciliare : factis læsisti, factis reconciliare : alioquin nisi quem factis læsisti, factis placaveris, sine causa oras ad Deum. Homil. 11 super *Matth. Oper. imperf.*

39. Si is qui reconciliat, filius Dei dicitur, quo nomine appellandus est, qui eos, qui reconciliantur, amicos facit? Homil. 37 super *Acta Apost.*

40. Non iracundos tantum et malitiæ memores punit Deus, sed et eos qui irascentes aut offensos fratres placare negligunt et contemnunt. Lib. 1 *de Compunct. cordis.*

41. Reconciliationem dissimulari ac differri non patitur Deus. *Ibid.*

42. Ingruente vespera reconciliato proximo, malum adhuc recens extingue. *Prosec.*

43. Etenim si nox illud deprehenderit, non poterit quod nocte accessit ventura dies extinguere malum.

44. Sed etiamsi majorem forte illius partem amputaveris, universum vero non potueris, fiet ut rursus accepto quod relictum est, vehementius incendium operetur nox altera. Serm. 14 super *Epist. ad Ephes.*, in illud IV : *Sol non occidat super iracundiam.*

S. ISIDORUS HISPALENS.
45. Qui fratrem sibi tardius reconciliat, Deum sibi tardius placat. *Prosec.*

46. Frustra enim propitiari sibi Deum quærit, qui cito placari in proximum negligit. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 27, sent. 7.

47. Si offenderis quemquam, repropitiare eum prece : perge velociter ad reconciliationem tuam, offensionis tuæ cito veniam postula. *Prosec.*

48. Non dormias, nisi prius revertaris ad pacem : non requiescas, nisi reconciliatus fueris fratri. Lib. *de Synonym.*, cap. 7.

S. ISIDORUS PELUS.
49. Antequam sol in occasum vergat, naturam agnoscite, furorem extinguite, arrogantiam comprimite, cognationem ac propinquitatem, quæ etiam foris dominatur, complectimini, ne nox interjecta morbum immedicabilem efficiat. Lib. 2, epist. 189, *ad Ammonium.*

S. MAXIMUS MART.
50. Propera, ut cum ipso quamprimum reconciliatus in gratiam redeas, ne præcepto charitatis excedas. Centur. 4, *de Charit.*, cap. 19.

PRUDENT. POETA.
51. Nil placitum sine pace Deo, non munus ad aram.
Cum cupias offerre probat, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro.
In *Psycom. de Concord. et discord. pugna*, vers. 103.

52. Non inflata tumet, non invidet æmula fratri,
Nunquam læsa dolet, cuncta offensacula donat;
Occasum lucis venia præcurrere gestit
Anxia, ne stabilem linquat sol conscius iram.
*Ibid.*, vers. 110.

IN VITIS PATR.
53. Culpa est Monachi, si læsus a fratribus, primus in charitate purgato corde non occurrit. Lib. 7, cap. 37, num. 4.

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 54. Inimicis te placabilem, amicis implacabilem præbes. Lib. 4, *de Rhetor. ad Herenn.*

SENECA. 55. Reconciliatio tua et facilis sit et certa. Epist. 105.

56. Dissensio ab alio incipiat, a te autem reconciliatio. *De Moribus.*

## RECREATIO.

*Vide* REMISSIO ANIMI.

## RECTITUDO.

S. BONAV. *Definitio.* Rectum est, cujus medium non exit ab extremis. Super 2, *Sent.* in Proœmio.

CICERO. Rectum est, quod cum virtute et officio sit. Lib. 3, *de Arte rethor. ad Herennium.*

SENECA. Recte factum est, quod irritum nulla vis efficit. Lib. 1, *de Benefic.*, cap. 5.

S. AUGUST. *Divisio.* Tres sunt species rectitudinis : aliud est regi, aliud dirigi, aliud corrigi, res inanimata proprie dicitur regi : res sensata per rationem dirigitur : res rationalis corrigitur. Serm. 55, *ad Fratres in eremo.*

Tres sunt species rectitudinis : reddere tibi quod tuum est; reddere proximo quod proximi; reddere Deo quod Dei est. Super *Psalm.* LXXXVII.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Quando mens sibi recti est conscia, gratulatur, vel infusione quadam spiritali repletur animus gaudio. Lib. 2, *de Cain et Abel*, cap. 6.

2. Nihil liberius recta voluntate, cui nulla vis aliena potest suam auferre rectitudinem. In *Dialogo de lib. arb.*, cap. 9.

S. AUGUST. 3. Pravitate nostra a rectitudine Dei longe sumus : unde rectum amando corrigimur, ut recto recti adhærere possimus. Epist. 52, *ad Macedonium.*

4. Non est amicus recti, quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est, non juberi. Super *Psalm.* LXVII, vers. 14.

5. Male erigitur, quod non primo corrigitur. Super *Psalm.* CXLVI, vers. 3.

6. Vere novit recte vivere, qui recte novit orare Homil. 4, *ex* LIII *Homil.*

7. Rectus Deus perverso non placet : vis ut placeat tibi rectus? esto rectus, noli tibi placere. Serm. 2, *Dom.* 19, *post Trinit.*

8. Ubi virtus nulla est, nihil rectum est. Epist. 29.

9. Sic factus est homo rectus, ut et manere in ea rectitudine posset, non sine adjutorio divino. In *Enchirid.*, cap. 107.

10. Recte vivit, qui obtemperat præcipienti Deo. Lib. 17, *de Civitate Dei*, cap. 4.

11. Omne factum, si recte factum non est, peccatum est. *De Utilitate credendi*, cap. 12.

12. Recte factum est, quod a recta ratione proficiscitur. *Ibid.*

13. Totum recte fit, quando fit propter Deum. Lib. 5, *contra Julian.*, cap. 3.

14. Homo ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. *De Corrept. et gratia*, cap. 6.

15. Amas quod dulcis est Deus, time quod rectus est. Tract. 33, super *Joan.*

S. BERNARD. 16. Quomodo rectus est, cujus fides mortua, cujus opus mors, cujus nulla dilectio, amaritudo multa? Serm. 24, super *Cantica.*

S. BONAV. 17. Nihil recipias, nihil retineas, nihil pronunties nisi rectum. Expos. 2, super *Psalm.* CXVIII, cap. 5, vers. 5, art. 3.

18. Servus Dei est rectus, in declinatione criminis; rectior, in operatione virtutis; rectissimus, in intentione amoris. Serm. 1, *Dom.* 17, *post Pent.*

19. Nihil continuatur recto, nisi rectum : cum ergo virtus nostra summæ potestati continuatur, absque dubio rectificatur, et ex hoc homo non solum rectus, sed etiam rector et rex efficitur. Super lib. 2, *Sent.*

20. Tria sunt, quæ recte hominem deducunt : mansuetudo cordis, veritas oris, et justitia operis. Tit. 7, *Diætæ*, cap. 2.

S. EPHREM. 21. Si rectam vivendi rationem expetis, te in humilitate exerce; sine qua recta vitæ ratio consistere nequit. *De recta vivendi ratione*, cap. 1.

S. GREGOR. MAGNUS. 22. Ea ipsa, quæ recte nos agere credimus, an in districti Judicis examine recta sint, ignoramus. Lib. 5, *Moral.*, cap. 4, super illud : *Viro, cujus abscondita est.*

23. Male se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. *Ibid.*, lib. 5, cap. 26, super illud : *Aut factore suo purior erit vir.*

24. Rectitudo accedens increpat, quod oculus deceptus approbat. *Ibid.*

25. Nequaquam veraciter rectus est, qui adhuc a pravitatis desiderio liber non est. *Ibid.*, lib. 9, cap. 32, super illud : *Loquar et non timebo eum.*

26. Nemo rectitudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit. *Ibid.*, lib. 24, cap. 6.

27. Reprobi recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala recurrunt. *Ibid.*, lib. 7, cap. 12.

28. Pravi nil rectum, nisi quod ipsi senserint, putant. *Ibid.*, lib. 10, cap. 2.

29. Recta stat anima, cum superna desiderat, et nequaquam flectitur ad ima. Homil. 31, super *Evang.*

30. Mentis judicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit. *Ibid.*



31. Terram semper intuetur, qui curvus est. *Ibid.*

HUGO A S. VICTORE. 32. Cor hominis dirigitur, quando humana voluntas, divinæ voluntati conformatur. Super *Psalm.* CXVIII, cap. 71.

PETRUS BLESENS. 33. Non est aliquis rectus, si recte non dividat. *Prosec.*

34. Non est rectus, qui linguam Deo, animam offert diabolo.

35. Non est rectus, quem avaritia contrahit, quem torquet ambitio, quem voluptas incurvat.

36. Rectus est, cujus melior est vox operis, quam vox oris : qui bene loquitur, sed melius agit. Super *Job*, cap. 1.

PHILO JUD. 37. Necesse est rectum fieri, quidquid applicatur ad sanam regulam. *De Gigant.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 38. Qui parum a recto exorbitat, non carpitur, sive ad defectum, sive ad exuperationem se flectat : qui vero multum, vituperatur; non enim latet egressus, facile autem non est excipere ratione, quousque et quantum a recto quispiam egressus, carpendus est. Lib. 2, *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 9.

39. Id quod recte sese habet, a virtute emergit. *Ibid.*, lib. 4, cap. 2.

SENECA. 40. Voluntas ipsa rectum petens, laudanda est. Lib. 5, *de Benefic.*, cap. 2.

41. Ex rectis actionibus, verum bonum oritur. Epist. 23.

42. Beata vita constat ex actionibus rectis, ad actiones rectas præcepta perducunt : plurimi etiamsi recte faciunt, nesciunt facere se recte. Epist. 95.

43. Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas : voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit. *Ibid.*

44. Sapiens stat rectus sub quolibet pondere. Epist. 71.

VALERIUS MAXIMUS. 45. Multi quid rectum sit, sciunt; sed id facere negligunt. Lib. 4, *Dictor. memorabilium*, cap. 5.

Vide etiam tit. *Cordis rectitudo*, per totum; *Dilectio Dei*, sent. 100; *Judicii corruptio*, sent. 26.

## RECTITUDO CORDIS.

*Vide* CORDIS RECTITUDO.

## REDDERE in genere.

SENECA. *Etymologia.* Reddere est quasi rem pro re dare. Lib. 6, *de Benefic.*, cap. 5.

SENECA. *Definitio.* Reddere est, id quod debeas, ei cujus est volenti dare. *Ibid.*, lib. 7, cap. 19.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. ANSELM. 1. Si homo dicitur injustus, qui homini non reddit quod debet : multo magis injustus est, qui Deo quod debet, non reddit. Lib. 1, *Cur Deus*, cap. 24.

S. AUGUST. 2. Reddite quod vovistis, quia vos ipsi estis, et ei vos redditis a quo estis. *Prosec.*

3. Reddite, obsecro; neque enim quod redditis, reddendo minuetur, sed potius servabitur, et augebitur.

4. Benignus enim exactor est, non egenus, et qui non crescit ex redditis, sed in se crescere faciat redditores.

5. Huic ergo quod non redditur, perditur : quod autem redditur, reddendo additur : imo vero cui redditur, ipse reddens servatur : id ipsum quippe erit redditum et redditor, quia id ipsum erat debitum et debitor. Epist. 45, *ad Armentarium.*

6. Deo seipsum debet homo, eique reddendus est, ut beatus sit, a quo accepit ut sit. *Prosec.*

7. Ad compellendum non potest esse molestus exactor, quando ad reddendum devotus est debitor. *De quinque hæres.*, cap. 1.

8. Vellem ut nihil aliud agerem, quam reddere me mihi, cui me maxime debeo. *De Quantit. animæ*, cap. 28.

9. Quæ redduntur translegando, ei redduntur, qui translegaverat : et quod creditorum justis successoribus redditur, ipsis utique redditur, quibus isti jure succedunt. Aliter non redditio sed cessio vel admissio, vel si quid aliud hujuscemodi nominanda est. Lib. 3, *de Lib. arbit.*, cap. 15.

10. Anima aut reddit bene utendo quod accepit, aut reddit amittendo quo bene uti noluit : itaque si non reddit faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam. *Ibid.*

11. Anima si non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. *Ibid.*

12. Si res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Epist. 54.

13. Redditur charitas, cum impenditur, nec cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur. Epist. 62.

14. Reddere mala christianus non debet pro malis. *Enchirid.*, cap. 72.

15. Malum malo non male redditur, et ei cui redditur, malum est, quia supplicium est : ei vero a quo redditur, bonum est, quia recte factum ejus est. Lib. 2 *ad Bonifac.*, cap. 7.

16. Reddet Deus et mala pro malis, quoniam justus est; et bona pro malis, quoniam bonus est : et bona pro bonis, quoniam bonus et justus est : tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniam injustus non est. *De Grat. et lib. arb.*, cap. 23.

17. Quæ redduntur, data dici possunt. Lib. *Locut.*, locut. 4.

18. Da mihi pro malis bona reddere. Lib. *Medit.*, cap. 1.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

19. Deus te divitem fecit, ideo redde illi quod suum est. Hom. 47 *ex* LIII *Homil.*

**V. BEDA.** 20. Bis gratum tribuit, qui quod debet, cito reddit. In suis *Proverbiis*, verbo *Bis.*

**S. GREGOR. MAGNUS.** 21. Qui reddit mala pro malis, bonus non est : qui non reddit bona pro bonis, ingratus est : qui autem reddit mala pro bonis, iniquus est. Super VII *Psalm. Pœnit.*, super *Psalm.* III, vers. 1.

**HUGO CARD.** 22. Injustus nec Deo, nec sibi, nec proximo, nec carni, nec mundo, nec diabolo reddit quod suum est. Super *Psalm.* XXXI.

**S. JOANNES CHRYSOST.** 23. Cum quis debitum justitiæ suæ reddiderit, Deo nihil præstat, sed sibi lucrum salutis acquirit. Hom. 3 super *Matth. Oper. imperf.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

**SIXTUS PHILOSOPH.** 24. Quæ mundi sunt, mundo : et quæ Dei sunt, reddantur Deo. *Sent.* 17.

## REDDERE RATIONEM.

### SENTENTIÆ PATRUM.

**S. AMBROS.** 1. Grave malum, ut aliquis ore suo condemnetur : etenim si pro otioso verbo reddet unusquisque rationem, quanto magis pro verbo impuritatis et turpitudinis? *Prosec.*

2. Si pro otioso verbo ratio poscitur, quanto magis pro sermone impietatis? Lib. 1 *Offic.*, cap. 2.

3. Si pro otioso verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus et pro otioso silentio. *Ibid.*, cap. 3.

4. Ampliores pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. *De dignit. Sacerd.*, cap. 3.

5. Mihi credite, ita vivamus in hoc sæculo, ut corpore moriamur : ita moriamur, ut rationi reddendæ vivamus. Serm. 3.

**S. ANTON.** 6. Omne tempus tibi impensum a te exigetur, qualiter fuerit expensum : et sicut capillus a capite non peribit, ita nec momentum a tempore, de quo non exigatur ratio. Part. 2, tit. 9, *de Acedia*, cap. 14, § 1.

**S. ANTONIUS ABBAS.** 7. Nullus recipit memoriam Dei, nec quisquam se rationem redditurum Deo post mortem æstimat. Serm. *de Vanitate mundi.*

**S. AUGUST.** 8. Pro omnibus tibi subjectis, qui in domo tua sunt, rationem Domino reddes. *De Salutar. docum.*, cap. 29.

9. Nos excepto quod christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra; sumus etiam pastores, unde rationem reddemus Deo de dispensatione nostra. *De Pastorib.*, cap. 1.

10. Irremediabile periculum est, sic aliquem vitiis et cupiditatibus fræna laxare, ut se rationem Deo non meminerit redditurum. Serm. 1, *Fer. 3, post Dom. Palmar.*

11. Quanto præ aliis major dignitas in honore est, tanto major difficultas in reddenda ratione. Serm. 39 *ad Fratres in eremo.*

12. Non cogito in ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transire, sed cogito me principi pastorum omnium rationem de commissis redditurum. Epist. 203.

**S. BASILI[US] MAGNUS.** 13. Non solum quomodo ipse accepisti, sed etiam quomodo a te exigetur quod acceperis, cogita. Super *Psalm.* XIV, conc. 4, vers. 6.

14. Pro certo habe, accuratum eorum, quæ quisque in vita gesserit, examen fore. Apud *D. Joannem Damascenum*, lib. 1 *Parall.*, cap. 15.

**S. BERNAR[D].** 15. Si de omni, vel otioso verbo Deo reddituri sunt homines rationem, quanto districtius de verbo mendaci, mordaci, et injurioso, de elato vel lascivo, de adulatorio aut detractorio? Serm. *de Triplici custodia linguæ.*

16. Cum scienter et ex deliberatione in verba otiosa lingua laxatur, contra regulam usurpat veritatis : unde ratio reddenda est in futuro judicio, judice ipso terrifice admodum comminante. *De Præcepto et dispens.*

**S. BONAV.** 17. Nihil debemus loqui vel agere, de quo non possumus reddere rationem. Serm. 3 *in Hexam.*

18. De tribus reddenda est ratio : de malorum admissione; de bonorum omissione; de subditorum commissione. Serm. 2 *Dom.* 8, *post Pent.*

**S. CYRILLUS HIEROSOL.** 19. Oportet nos reddere rationem de omnibus in corpore factis. *Catech.* 18.

20. Majora recipienti, ratio major reddenda crescit. *Prosec.*

21. Quot ovium Christi, vel negligentia episcopi, vel exemplo in peccata deviant, de tot tenetur Domino reddere rationem. Epist. *ad Augustin. de Miraculis D. Hieron.*

**DIONYSIUS CARTHUS.** 22. Quo religiosus plura et aptiora habet media proficiendi in omni gratia et virtute, eo coram judice summo culpabilior ac damnabilior invenitur. *Prosec.*

23. Quo etiam plura atque majora omnipotenti promisit, et ad sublimiora sua professione se obligarit, eo major ratio a summo Judice requiretur. *De Profess. monast.*, art. 7.

**S. EUSEBIUS CÆSARIENS.** 24. Qui scit et solum facit, et alios non docet, tenebitur Domino reddere rationem. Epist. *ad Damascenum Papam de morte D. Hieron.*

25. Exigere habet ab homine rationem, qui seipsum pro homine dedit, et confixus clavis legem mortis fixit. Hom. 3 *Epiph.*

26. Ille pro commissa nobis salute rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Hom. 1 *de Symbolo.*

**GLOSS. ORD.** 27. Rectitudinis pavore concutitur, qui se red-



dendis rationibus conspicit non esse idoneum, si districte judicetur. Super *Job*, cap. XXIII.

28. Quanto majus est æs alienum, tanto major timor, scilicet de reddenda ratione. Super *Psalm.* XCVIII.

29. Si pro otioso sermone redditurus est unusquisque rationem, quanto magis verba sacrilega gravibus suppliciis expiabit? Super *Malach.*, cap. 3.

**S. GREGOR. MAGNUS.** 30. Penset qui regendis hominibus præfertur, quia ad satisfaciendum districto Judici de sua tantummodo anima fortasse vix sufficit : et quot regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet, quæ nimirum cogitatio si assidue mentem excoquit, omnem superbiæ tumorem premit. Lib. 24 *Moral.*, cap. 15, num. 30.

31. Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. *Prosec.*

32. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Serm. 9 super *Evang.*

33. Qui nostrorum operum rationem reddere vehementer expavescimus, de eo quod aliis præsumus etiam Deo reddere rationem debemus. Lib. 5 in I *Reg.*, cap. II.

**S. HIERON.** 34. Perclarum est, ut non modo sermonis et actionis, sed etiam omnis temporis, atque adeo momentaneæ ac tenuissimæ partis horæ, rationem nobis reddendam existimemus. Hab. apud *D. Joan. Damasc.*, lib. 1, *Parall.*, cap. 15.

35. Mens Christo dedita, æque in majoribus, et in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem. Epist. 3, *ad Heliodor.*

**HUGO A S. VICTORE.** 36. Prælatus non tumeat de dignitate, sed timeat de reddenda ratione. In *Annot.* super *Ep. ad Rom.*, in illud : *Qui præest.*

**HUGO CARD.** 37. Non ita scrupulosi erant antiqui, nec suspiciosi, quin omnia sua fidei servorum committerent; sed modo prælati volunt audire etiam de minimis rationem. Super *Gen.*, cap. XXIV.

38. Dum vivis, cogita qualiter debeas operari et regere gregem tuum : alioquin in die judicii oportet te reddere computum et rationem vitæ, et administrationis tuæ. Super *Luc.*, cap. XVI, in illud : *Redde rationem villicationis tuæ.*

39. Unusquisque christianus, pro suo peccato reddet rationem : sacerdotes autem non tantum pro suis, sed et pro omnium subditorum peccatis *Ibid.*, cap. XIX.

**S. JOANNES CHRYSOST.** 40. Melius est propter misericordiam Deo rationem reddere, quam propter severitatem. Hom. 43 super *Matth. Oper. imperf.*

41. Non solum dives, verum etiam pauper suæ paupertatis Deo rationem redditurus est. *Prosec.*

42. Sicut a divite beneficentiæ, sic a paupere tolerantiæ ratio reposcitur. Hom. 20 *ex Divers. in Matth.*

43. Magistratus et judices rigide in judicio Dei examinantur, si justitiam non corruperunt, si neque in odium, neque in gratiam litigantium sententiam tulerunt, si non obsequiis deliniti, præter jus et æquum suffragati sunt, si non privatæ injuriæ memores, pœnas sumpserunt de insontibus. *Ibid.*

44. Cui episcopatus obligit, quanto altius dignitatis fastigium conscendit, tanto gravior ab eo ratio reposcitur. *Ibid.*

45. Non operum tantummodo, sed etiam verborum : nec dictorum tantum, sed et auditorum ratio reddenda est. *Ibid.*

46. Unusquisque nostrum de seipso reddet rationem, quam ut justam et probabilem afferamus nostram formemus vitam : scientes hanc solam nobis parari posse excusationem, si nos recte fecisse ostenderimus. Hom. 21 super I *Cor.*

47. Considera quantum periculi sit, per singulos subditorum discuti, rationemque pro omnibus reddere, quantumvis illi honoris impendas, quantumlibet obsequii deferas, nihil his periculis referre par poteris. Hom. 2 super II *Tim.*, in illud : *Quasi rationem reddituri.*

48. Omnium quos regis, mulierum, puerorum, atque virorum, tu rationem redditurus es : tanto igni tuum subjicis caput; miror si potest salvari aliquis rectorum, post tantam comminationem. Hom. 34, super *Epist. ad Hebr.*, in illud : *Ipse enim vigilant.*

**S. JOANNES DAMASC.** 49. Horrendum illum ac tremendum diem memoria tenete, in quo omnes ad Christi tribunal sistentur, ut eorum quæ in vita gesserint, rationem reddant. *Prosec.*

50. Quemadmodum nos a famulis nostris non modo exitus, sed etiam introitus rationem exposcimus, eodem quoque modo Deus a nobis, non modo impensæ, sed etiam adoptionis rationem exacturus est. Lib. 1 *Parall.*, cap. 15.

**JOAN. TRITH.** 51. Omnium periculorum maximum est, cum separata per mortem a corpore anima summo pastori Deo, pastor terrenus ad rationem ponendam fuerit præsentandus. *De Inst. vitæ sacerd.*, cap. 6.

**S. ISIDORUS HISPAL.** 52. Sciant præsules, quod de veritate sint reddituri rationem, pro eo quod conticescunt de plebibus sibi commissis. Lib. 3 *de Sum. bono*, cap. 45, sent. 3.

53. Cui plus committitur, plus ab eo exigitur, etiam cum usura pœnarum. *Ibid.*, cap. 50, sent. 5.

54. Nullus est homo absque peccato, nec quisque potest de Dei securus esse judicio, cum etiam et de otiosis verbis reddenda sit ratio. *Ibid.*, cap. 62, sent. 10.

LACT. FIRM. 55. Semper ita vivamus, ut rationem nobis reddendam arbitremur. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 24.

56. Putemus momentis omnibus nos desuper spectari ab eo, qui et judex et testis ipse futurus est, cui rationem vitæ reposcenti actus nostros inficiari non licebit. *Ibid.*

ORIGENES. 57. Principes non solum pro suis propriis arguuntur delictis : sed et pro populi peccatis coguntur reddere rationem. Hom. 20 in cap. xxv *Num.*, super illud : *Et iratus est furore Dominus.*

PETRUS BLESENS. 58. Salus animarum, quarum custodiam suscepisti, de tuis manibus in districto et summo examine requiretur. Epist. 157, *ad Vicarium suum.*

59. Quot graduum culmen ascenderitis, tot rationum vinculis estis alligati. *Ibid.*, serm. 40.

60. Adest jam judex, positum est tribunal, circumstant senatores, profligant ligatores, percurrunt allegationes; Serve, dic, age, redde rationem. *De Panibus*, cap. 15.

S. PETRUS DAMIANUS. 61. Villicus quanto in commissa largiori possessione beatior, tanto est in reddenda ratione miserior : tantoque debet plura cum reddit, quanto gloriatur ampliora cum accipit. Opusc. 13, cap. 15.

S. PETRUS MAURITIUS ABB. CLUN. 62. In illo tremendi judicii examine uniuscujusque testimonium vix sibi soli sufficiet, quanto minus sibi et proximo? *Prosec.*

63. Quid dicet homo dormiens, cum ratio erit reddenda? quid homo negligens, homo nec sibi nec suis providens? Lib. 1, epist. 24 *ad Guidon. prior. Carthusiæ.*

S. REMIGIUS 64. Unusquisque pro se rationem est redditurus, non solum operum et sermonum, sed etiam cogitationum. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 14, can. 12.

ROBERTUS A SORBONA. 65. Si de verbis otiosis oportet reddere rationem, quid de verbis luxuriosis, et de perjuriis, et de blasphemiis, et de omnibus malis? Lib *de Conscientia.*

66. Sicut de omni verbo otioso oportet reddere rationem, ita de omni silentio. *Ibid.*

THALASSIUS MONAC. 67. Verborum et operum ac cogitationum, rationem redditui sumus in die judicii. *Hecatontad.* 3, sent. 2.

S. THOMAS AQUINAS. 68. Hoc est maximum periculum, hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit. Super *Epist. ad Hebr.*, cap. 13, lect. 1.

THOMAS A KEMPIS. 69. Certe adveniente die judicii, non quæretur a nobis quid legimus, sed quid fecimus; nec quam bene diximus, sed quam religiose viximus. Lib. 1 *de Imit. Chr.*, cap. 3, sect. 5.

S. THOMAS VILLA-NOV. 70. Felices, qui solum de seipsis in die judicii redditui sunt rationem. Serm. *Dom.* 3, *Advent.*

S. VALER. EPISCOP. 71. Non est unde rationem in posterum præstet, qui de die in diem Domino bonorum operum fructus justus justo labore ditatus obtulerit. Hom. 4 *de Promiss.*

IN VIT. PAT. 72. Coram cœli et terræ Domino rationem totius vitæ nostræ redditui sumus, et tu rides? Lib. 5, libel. 3, num. 23.

S. ZENO EPISCOP. ET MART. 73. Genus insaniæ est, eum rationem secreti naturæ disquirere, qui vitæ suæ non possit rationem reddere. Serm. 2 *de Genesi.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

CICERO. 74. Nihil est minus ferendum, quam rationem ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere. Orat. 4 *pro Cæcilio.*

75. Multi legem sibiipsi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt. Orat. 8 *in Verrem*, lib. 3, act. 4.

PLATO. 76. Certissimum est unumquemque nostrum, animum immortalem habere, eumque ad Deum proficisci oportere, rationemque vitæ redditurum. Sizygia 4, lib. 12 *de Legib.*

Vide etiam tit. *Abbas*, sent. 6; *Dignitas*, sent. 76; *Eleemosyna*, sent. 75; *Exemplum*, sent. 10, 79; *Imperator*, sent. 64; *Justitia Dei*, sent. 17; *Judicium extrem.*, sent. 125; *Judicii corruptio*, sent. 62; *Munus*, sent. 15; *Pastor*, sent. 135, 140; *Princeps*, sent. 69; *Resurrectio humana*, sent. 64; *Sacerdotis dignitas*, sent. 65.

## REDEMPTIO CAPTIVORUM.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBR. 1. Summa liberalitas captivos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, et maxime fœminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ restituere. Lib. 2 *Offic.*, cap. 15.

2. Præcipua est liberalitas, redimere captivos, et maxime ab hoste barbaro, qui nihil deferat humanitatis ad misericordiam, nisi quod avaritia reservaverit ad redemptionem. *Ibid.*

3. Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur : ornatus sacramentorum, redemptio captivorum est. *Prosec.*

4. Tunc vas Dominici sanguinis agnosco, cum in utroque videro redemptionem, ut calix ab hoste redimat, quos sanguis a peccato redemit. Lib. 2 *Offic.*, cap. 28.

S. ANTON. 5. Eos, qui detinentur in carceribus pro debitis redimere, pro eis solvendo creditoribus, magna eleemosyna est. Part. 2, tit. 1, cap. 24, § 2.



S. AUGUST. 6. Ubi redemptio sonat, intelligitur et pretium. Lib. 3, *contra Julianum*, cap. 3.

LACT. FIRM. 7. Proprium justorum opus est, alere pauperes ac redimere captivos. Lib. 6 *de Divin. inst.*, cap. 12.

8. Quæ in supervacua impensurus es, ad meliora convertas : unde bestias emis, hinc captivos redime : unde feras pascis, hinc pauperes ale. *Ibid.*

9. Redimere ab hoste captivos, magnanimi opus est. In *Epitome*, cap. *Dixi.*

S. LEO I. 10. Quidquid in pretia captivorum impenditur, non minuitur, sed augetur. Serm. 1 *de Jejun. Pentec.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

ARISTOTEL. 11. Redemptum a prædonibus eum, qui ipse redemit, redimere vicissim oportet, quicunque is sit. Lib. 9 *Ethic. ad Nicomach.*, cap. 2.

12. Redimere patrem potius, quam se etiam redimere, filium oportet. *Ibid.*

## REDEMPTIO HUMANA.

SENTENTIÆ PATRUM.

S. AMBROS. 1. Vilesceret redemptio sanguinis Christi, si justificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis. Lib. 1 *de Vocat. gentium*, cap. 5.

2. Christus carne suscepta maluit in hunc mundum redemptor venire, quam judex. *De obitu Theodosii imperat.*

3. Liber est, qui sapiens est, pretio emptus oraculorum cœlestium, illo auro, illo argento, pretioque emptus sanguinis et gratiæ Christi. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum.*

4. Qui fideliter et scienter intelligunt, quo pretio sint redempti, nolunt de mundi hujus sapientibus, nollunt esse de fortibus. Lib. 10, epist. 84, *ad Demetriadem.*

5. Passio Christi nostra redemptio est. Serm. 56 *de Cruce Christi.*

6. Pretio sanguinis Christi redempta est Ecclesia. Lib. 2 *de Abraham*, cap. 11.

7. Creati ad laborem sumus, redempti ad quietem. Super *Psalm.* cxviii, serm. 14, vers. 3.

8. Plus me redimendo mihi Christus contulit, quam creando : tunc enim sine sensu natus sum, nunc vero cum voluntate servatus. *Ibid.*, serm. 16, vers. 7.

9. Plus, Domine Jesu, injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus, quod creatus sum : non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Lib. 2 super *Luc.*, cap. ii, in illud : *Impleti sunt dies ut pareret.*

10. Bonum aurum sanguis est Christi, dives ad pretium, profluus ad lavandum omne peccatum. Super *Psalm.* xxxv.

S. ANSELM. 11. Non emit nos Christus, quia per naturam ipsius semper fueramus : sed redemit, quia captivi peccato tenebamur. *Prosec.*

12. Qui enim aliquem redimit, suum docet fuisse quem redimit : ita Christus nos redemit, quia ejus eramus. Super *Epist. ad Rom.*, cap. 3, in illud : *Per redemptionem, quæ est in Christo.*

S. AUGUST. 13. Miser ego! quantum deberem diligere Deum meum, qui me redemit cum perieram! *Prosec.*

14. Perieram, et ad mortalitatem descendit, mortalitatem suscepit, passionem sustinuit, mortem vicit, et sic me restauravit.

15. Perieram, et abieram, quoniam in peccatis meis eram venumdatus; venit ille post me, ut redimeret me, et tantum dilexit me, ut sanguinis sui pretium appenderet pro me, talique pacto reduxit me de exilio, et redemit de servitio. *De Spiritu et anima*, cap. 17.

16. Magna est miseria, superbus homo; sed major misericordia, humilis Deus. *De Catechiz. rudib.*, cap. 4.

17. Idem in divinitate auctor est rerum, qui in carne redemptor est hominum. *Contra Felicianum*, cap. 10.

18. Fusus est sanguis medici, factus est medicamentum phrenetici. *De quinque hæres.*, cap. 7.

19. Per passionem Filii omnes gentes redemptæ sunt ad salutem. Super *Psalm.* xciii, vers. ult.

20. Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei : discedite a me in ignem æternum. *Prosec.*

21. Festinet unusquisque cum vivit, ut vivat : currat ut ejus pretioso sanguine redimatur : ne cum non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum. Lib. 2 *de Symbolo*, cap. 8.

22. Copiosa redemptio nobis data est in vulneribus Jesu Christi, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, et perfectio virtutum. In *Manuali*, cap. 21.

23. Agnoscat homo quantum ab illo expectet Deus et quem tanta dignatione habuit charum, quam velit esse in conversatione pretiosum. *Prosec.*

24. Agnoscat homo quantum valeat, et quantum debeat; et dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat.

25. Custodiamus ergo sollicite quod tanti sui cruoris commercio Christus redemit.

26. Reus erit non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violat et maculat animam Christi sanguine et passione mundatam.

27. Reus erit æternæ mortis, qui vilem in se habuerit sanguinem Redemptoris. Serm. 1 *Fer.* 3, *post Domin. Palmarum.*

28. Pretium redemptionis nostræ sanguis est Christi. *Epist.* 57, in solut., quæst. 6.

29. Passio Domini pretium est orbis terrarum : passus enim totum orbem redemit. Epist. 171.

30. Christi redemptio multa delicta dissolvit, quæ peccato originali abundantia prævaricatricis iniquitatis adjecit. Epist 89, quæst. 3.

31. Si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est. Epist. 157.

32. Natura humana post peccatum Redemptore indiget. Epist. 95.

33. Omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo est ; non tamen omnis qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est. Lib. 1 *de Conjug. adult.*, cap. 15.

34. Pretium meum non aurum, sed sanguis Christi est. *De quinque hæresibus*, cap. 7.

35. Condidit Ecclesiam, qui fratres humiliter redemit occisus. Lib. 2 *contra Crescon.*, cap. 13.

36. Christus mortuus est potestate, et hoc est pretium nostrum, quo nos a morte redimeret. *De Nat. et grat.*, cap. 24.

37. Ubi redemptio sonat, intelligitur et pretium. Lib. 3 *contra Julian.*, cap. 3.

38. Omnis humana natura redimi nullo modo potest, nisi per sacramentum sanguinis Christi. *De Nat. et grat.*, cap. 2.

39. Noli minorem facere Filium in eo quod fecit te, quia ideo minor factus est ut redimeret te. *De Cantico novo*, cap. 7.

40. Solo Agni sanguine homines redimi potuerunt. Tract. 7 super *Joan.*

41. Si sanguis Christi non funderetur, mundus non redimeretur. *Ibid.*, tract. 37.

42. Foras misso invasore habitet Redemptor, quia ipse redemit qui creavit. Tract. 4 super *Epist. Joan.*

43. Venales nos petamus, ut Christi sanguine redimamur. Tract. 41 super *Joan.*

44. Christus pretium dedit, non argentum, sed sanguinem suum. *Ibid.*

45. Ille emit, qui pretiosum sanguinem fudit. *Ibid.*, tract. 47.

46. Non habet frater, habes tu : unum est pretium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis. Tract. 5 super *Epist. Joan.*

47. Liberat a servitute solus Dominus, qui illam non habuit. Tract. 41 super *Joan.*

48. O inæstimabilis charitas! ut liberares servum, Filium tradidisti. Lib. *Meditationum*, cap. 15.

49. Cum justitia te judicabit, qui cum misericordia te redemit. Hom. 36 *ex* LIII *Homil*

50. Nemo liberat venumdatos sub peccato a vinculis captivantis, nisi gratia redimentis. Epist. 105.

S. BASILIUS MAGNUS. 51. Christus apparuit nobis, non in forma Dei, ne id quod debile est consternaret : sed in forma servi, ut id quod in servitutem redactum erat, liberaret. Conc. 24 *de Nativ. Christi.*

S. BASILIUS SELEUC. 52. O intolerabilia mala! quos in libertatem crux asseruerat, diabolus iterum raptat : quos Christus sanguine liberavit, captivos iterum tyrannus ostentat. Orat 27.

S. BERNARD. 53. Vehementissimo tui amore inflammata divina majestas redemit te. *Prosec.*

54. Triginta et tribus annis operatus est salutem tuam in medio terræ, affixus cruci, addictus morti, ludibriis deputatus : quid ultra debuit facere, et non fecit ? cujus vel saxeum pectus tanta et talis a tanto et tali collata beneficiorum multitudo non emolliat ?

55. Quidquid igitur es, quidquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti. Serm 2, *Non est regnum Dei esca et potus.*

56. O duri, et indurati et obdurati filii Adam! quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit. *Prosec.*

57. Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abunde, quia largiter : quid ultra debuit facere, et non fecit ? Serm. 2 *Pentec.*

58. Quidquid es, quidquid potes, debes creanti, redimenti te. Serm. 2 *de Verbis Apostoli.*

59. Mors a morte redemptio, mors Christi a morte, vita ab errore, peccato gratia liberavit. *Serm. ad Milites templi*, cap. 11.

60. Hoc est quod me plus movet, plus urget, plus accendit, quod super omnia te mihi reddit amabilem, Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. *Prosec.*

61. Hoc est quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. Serm. 20 super *Cant.*

62. Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo, mundum reconcilians sibi. *Ibid.*, serm. 61.

63. Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est : gravis animæ casus, quæ nonnisi Christi cruce potuit reparari. Epist. 54 *ad Haymericum Romanæ Sedis cancellarium.*

64. De malo proditionis Judæ fecit Deus bonum redemptionis nostræ. Serm. 2 *in Cœna Domini.*

S. BONAV. 65. O inæstimabilis dilectio charitatis, ut servum redimeres, Filium tradidisti ! Super *Sap.*, cap. XV.

66. Sufficcisset ad redemptionem humani generis minima gutta sanguinis Jesu Christi : sed data est copia ut ex inundatione beneficii virtus innotesceret diligentis. Serm. 6 *Dom.* 1, *Advent.*



67. Magna liberatoris potestas, et benefica liberationis pietas, et ingenua liberatorum nobilitas. Collat. 43 in cap. VIII *Joan.*

CASSIODOR. 68. Ipse fideles redimit, qui suum Filium pro humano genere inæstimabile pretium dedit. Super *Psalm.* VII, vers. 2 : *Dum non est qui redimat.*

69. Christus non aurum dedit, ut nos liberaret : sed sanguinem suum pretiosum, nullis divitiis, nullis opibus conferendum. Super *Psalm.* XXXI, vers. 9.

70. Nulla oblatio, nulla placatio potest compensare, quod nos divinitas est dignata redimere *Psalm.* XLVIII, vers. 7.

71. Quæ major misericordia, quam propter nos creati Creatorem, servire Dominatorem, vendi Redemptorem, humiliari Exaltatorem, occidi Vivificatorem ? Super *Psalm.* L, vers. 1.

72. O inæstimabile pretium, quod redemit genus humanum ! quamvis multorum martyrum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio fuit redemptio peccatorum. Super *Psalm.* LIV.

73. Salus humani generis, quæ in Adam perierat, redintegrata est per Dominum Christum. Super *Psalm.* LXI, vers. 6.

74. Si multitudinis misericordia non fuisset, nequaquam redimi poteramus obnoxii. Super *Psalm.* LXVIII, vers. 17.

75. Dominus Salvator peccatores obnoxios pretioso sanguine suo a diaboli redemit imperio. Super *Psalm.* CV, vers. 2 : *Et redemit eos.*

76. Redemit nos Christus diversis injuriis, et passionibus suis, alapis cæsus, flagellis verberatus est : redemit nos utique sanguine suo pretioso : hoc enim fuit pretium, quod pretium non haberet. Super *Psalm.* CXXXV, vers. 24 : *Et redemit nos.*

S. CYRILLUS ALEX. 77. Quoniam pretio empti sumus, nec sumus nostri, serviamus Emptori pro viribus, carnis rebelles motus edomando. Homil. 17 *De Festis Paschal.*

S. EUSEBIUS EMISSEN. 78. Nimium ingratus est Liberatori, qui in patria degens, loquitur dolore captivi. Homil. *in Litaniis.*

79. Qui se cœlesti pretio vident redemptos, ad cœlestia non dubitent præparatos. Homil. 2 *de Pascha.*

80. Qui militiæ christianæ mancipatus, dicere se præsumit ingenuum, pene est ut neget se Christi sanguine comparatum. *Prosec.*

81. Quid aliud est dicere, Liber sum, quam ipsi Domino clamare, Nihil tibi debeo ? Non bene ingenuus comprobatur, qui misera vitiorum servitute deprimitur. Homil. 3 *ad Monachos.*

S. GREGOR MAGNUS. 82. Tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus indigna suscepit. Homil. 6 super *Evang.*

83. Ille omnes redemit, qui omnibus excellit. Lib. 1 in I *Reg.*, cap. 11, super illud : *Non est sanctus, ut est Dominus.*

84. Quo pretio sit redemptus non meminit, qui ima quærit. Homil. 31 super *Evang.*

85. Terram semper intuetur, qui curvus est : et quo pretio sit redemptus non meminit, qui ima quærit *Ibid.*

HAYMO. 86. Qui se cœlesti pretio vident redemptos, ad cœlestia non dubitent præparatos. Serm. 1 *fer.* 4, *Pent.*

S. HIERON. 87. Mysterium est quod passio Christi redemptio est salutis humanæ. Super I *ad Timoth.*, cap. III, in illud : *Habentes mysterium fidei.*

HUGO CARD. 88. Mysterium humanæ liberationis ignotum est. Super *Epist. ad Romanos*, cap. I.

S. INNOC. III 89. Disposuit cœlestis altitudo consilii, ut per mortem suam genus humanum Christus redimeret : quatenus inimicos ad charitatem accenderet, superbos ad humilitatem reduceret. Serm. 1 *Dom.* 1, *Advent.*

90. Redemptio proprie dicitur, liberatio quæ sit dato pretio : homo namque seipsum vendere potuit in servitutem diaboli, sed redimere non potuit seipsum a servitute diaboli : unde ad redemptionem ipsius necessaria fuit misericordia Domini copiosa. Super *Psalm.* CXXIX, vers. 7.

S. JOANNES CHRYSOST. 91. Mors per Adam, vita per Christum : per Christum redimitur quod per Adam fuerat captivatum. Serm. *de Genesi.*

92. Non Judæ traditio, sed sapientia Christi, atque potentia salutem peperit universis. Homil. 82 super *Matth. Oper. perf.*

93. Ultimæ amentiæ est, quæ Christo pretiosissima sunt, et talia ut eorum gratia mortem obire non recusaverit, ita despicatissima arbitrari. Homil. 20 super I *Cor.*

94. Redemptio nostra non est nummi, sed gratiæ : non est corporis, sed animæ. Homil. super *Psalm.* XXV.

95. Cogita quantum illum esse necessarium sit, quem tantus Christus ita appretiatus est, ut nec sanguini suo pepercit. Homil. *de Profectu Evangelii.*

96. Filium suum unigenitum, non servum, non angelum, non archangelum : nemo unquam pro filio tantam præ se tulit charitatem, quantam pro servis, et ingratis servis, Deus. Homil. 26 super *Joan.*, super illud : *Ut Filium suum unigenitum daret.*

JOAN. TRITH. — 97. Qui dedit semetipsum pro te, nihil aliud præter teipsum quærit a te. In cap. 4 *Regul. S. Bened.*, verbo *Quidquid.*

S. IRENÆUS. — 98. Memor esto, dilectissime, quoniam carne Domini redemptus es, et sanguine ejus. Lib. 5 *advers. Hæres.*, cap. *Traductis.*

S. LEO I. — 99. Causa reparationis nostræ non est, nisi misericordia Dei. Serm. 1 *de Jejunio decimi mensis.*

100. Sicut nullum Dominus a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Serm. 1 *de Nativit.*

101. Effusio pro injustis sanguinis Justi, tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula detinerent. Serm. 12 *de Passione.*

S. MACHAR. ÆGYPT. SEN. — 102. Perpende dignitatem tuam, quam sis pretiosus : nam angelis te fecit Deus præstantiorem, cum ille ipse redemptionem tuam subiit in terra. Homil. 15.

S. PROSPER. — 103. Immortalis anima creata nisi sanguine redempta fuerit, eam in æternam pœnam cum carne victuram, evangelica fides annuntiat. *De Promiss.*, part. 1.

S. REMIG. — 104. Ejus voluntati obedire debemus, cujus sanguine redempti sumus. Super 1 *Cor.*, cap. VI, cant. 19.

RICHARD. A S. VICTORE. — 105. Misericordia nostræ redemptionis in hoc insinuatur, Christus sola charitate, nostræ miseriæ compassione, Patri obediens mortem pertulit, et in hoc ipso apud Deum Patrem multum meruit, omneque meritum suum suis membris concessit : et sic in passione sua eum, qui mortis habebat imperium, destruxit, et hominis reatum expiavit, et peccatorem Deo Patri reconciliavit. Part. 1, serm. *in die Paschæ.*

S. SYNESIUS EPISCOPUS. — 106. Magni est homo pretii animal, magni, inquam, pretii : cum pro eo sit Christus in cruce suspensus. Epist. 57 *adversus Andronicum.*

THOMAS A KEMPIS. — 107. Felix anima, quæ sacramenta nostræ redemptionis studiose recolit, affectuose diligit, digne veneratur., In *Soliloq. animæ*, cap. 25, sect. 9.

108. O felix et beata hora ! qua homo redemptus est ab æterna morte. *De tribus tabernaculis*, cap. 31, sect. 7.

S. VINCENT. FERRAR. — 109. Noli te servituti diaboli subjicere, quia pretium tuum sanguis Christi est, qui misericordia te redemit. *Prosec.*

110. Ergo ex quo pretium nostræ redemptionis est tam magnum, et tanti valoris, caveamus ne vendamus nos iterum diabolo modico pretio. Serm. *de Circumcisione.*

111. Lapis pretiosus seu margarita est anima nostra, quæ plus valet, quam aliquid corporale quæ est empta pretioso sanguine Jesu Christi. *Ibid.*

112. Si pro redemptione unius animæ non sufficit totus mundus, quanto magis pro omnibus animabus ; ideo nullum erat pretium sufficiens, nisi sanguis Christi infiniti valoris. *Prosec.*

113. Unde si in statera divinæ justitiæ in una parte essent omnes animæ, et in alia minima gutta sanguinis Christi, plusquam omnes animæ ex conjunctione divinitatis. Serm. 1 *post Pascha.*

SENTENTIÆ PAGANORUM.

114. Volo intueri pretia sanguinis animarum vestrarum. Lib. 7 *de Beneficiis*, cap. 9. — SENECA.

115. Perierat totus orbis nisi iram finisset misericordia. Lib. 1 *Controvers.* 1.

Vide etiam tit. *Damnatio*, sent. 15 ; *Debitum*, sent. 7, 39 ; *Pœna*, sent. 67 ; *Recidivatio*, sent. 18 ; *Reddere rationem*, sent. 26 ; *Servitus*, sent. 28.

## REGIMEN.

*Definitio.* Gubernare, est rem ad debitum finem convenienter perducere. Part. 1 *Summæ*, quæst. 103, art. 1. — S. THOMAS AQUINAS.

SENTENTIÆ PATRUM.

1. Stultus regere se non potest, et nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Lib. 2, epist. 7, *ad Simplicianum*. — S. AMBROS.

2. Stulto et imperare servitus est, et quod pejus est, cum paucioribus præsit, pluribus dominis et gravioribus servit. *Ibid.*

3. Difficilius quispiam se, quam alterum regit. *Prosec.*

4. Animum regendo vincere, iracundiam, cohibere, compugnantesque leges carnis et mentis in unum cogere, immortalis cujusdam est viri, quem inferni porta non susceperit. Lib. 1 *de Cain et Abel*, cap. 6.

5. Grave est præsertim insipientibus, non habere rectorem *Ibid.*, lib, 2, cap. 9.

6. Mens nihil sibi arroget, quia se regere non potest, nisi divino favore suffulta. Lib. 2 *de Abraham.*, cap. 8.

7. Ampliores pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. *De Dignit. sacerd.*, cap. 3.

8. Tanta debet esse præcellentia vitæ rectoris ad vitam subditorum, quantum pastor excellit conditionem suarum ovium. Part. 1, titul. 3, cap. 7, § 1. — S. ANTONIN.

9. Quemadmodum corpora crassiora et inferiora per subtiliora et potentiora quodam ordine reguntur : ita omnia corpora reguntur per spiritum vitæ, et spiritus vitæ irrationalis per spiritum



vitæ rationalem, et spiritus vitæ rationalis desertor atque paccator, per spiritum vitæ rationalem, pium et justum, et ille per ipsum Deum. Lib. 3 *de Trinit.*, cap. 4. — S. AUGUST.

10. Ipsa est optima gubernatio, ut omnia suis temporibus distributa ex ordine generantur, ne animum humanum turbulentis implicationibus involuta perturbent. *De Opere monachorum*, cap. 18.

11. Plerumque dum nimium servatur humilitas, regendi frangitur auctoritas. In regula 3, *ad Clericos.*

12. In domo justi viventis ex fide, qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare. Lib. 19, *de Civitate Dei*, cap. 14.

13. Fastus regius non disciplina putata est regentis, vel benevolentia consulentis, sed superbia dominantis. *Ibid.*, lib. 5, cap. 12.

14. Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. *Ibid.*, lib. 19, cap. 19.

15. Spiritus regit, caro regitur : ille imperare debet, ista servire. Nam ubi caro imperat et spiritus servit, perversa domus est. *Prosec.*

16. Recta domus est ubi vir imperat, fœmina obtemperat : rectus ipse homo, ubi spiritus imperat, caro servit. Tract. 2, super cap. 1, *Evang. Joan.*

17. Regat te præpositus, ut possit a te regi subjectus. *De utilit. jejunii.*

18. Debes regi, ut possis regere. *De verbis Dom.*, serm. 43.

19. Mens regit, caro regitur : et magis sum ego in eo quod rego, quam in eo quod regor. *De Verbis Apost.*, serm. 5.

20. Necesse est ut talis sit grex, qualis sit et rex. Serm. 42, *ad Fratres in eremo.*

21. Quod totum potest regere : etiam partem regit. Lib. 3, *de Libero arbitrio*, cap. 12.

22. Aliud est quod regit, aliud quod regitur : animus rationalis regit, irrationalis cupiditas regitur. Lib. 14, *de Civit. Dei*, cap. 22.

23. Intellectus animam regit. Tract. 15, super *Joan.*

24. Vir non bene regit fœminam suam, nisi cum a superiore regitur. *Ibid.*

V. BEDA. — 25. Qualis rector est civitatis, tales inhabitantes. In suis *Proverb.*, verbo *Qualis.*

S. BERNARD. — 26. Bene non regis, si bene non regeris. Epist. 289, *ad Reginam Hierosol.*

S. BONAV. — 27. Ad hoc pessimum invigilare debet sollicita cura rectoris, ut in commisso grege meritum virtutis accrescat, claudatur via vitiis, et detur moribus disciplina. Epist. *ad Quemdam provincialem.*

S. DIONYS. AREOPAGIT. — 28. Qui seipsum rexerit, alterum etiam reget : et qui alterum, etiam domum, et civitatem : qui civitatem, etiam nationem reget. Epist. *ad Demophilum monach.*

S. DOROTE. — 29. Nihil est miserabilius, nil quod citius expugnari queat his, qui nullos duces, nullos rectores habent ad viam Dei. *Doctrina* 5.

S. EPHRAM. — 30. Beata navis, quæ a peritis gubernatur : væ autem navi, quæ ab imperitis regitur ; nam navis confringetur propter imperitiam gubernatorum. *De Virtute*, cap. 1.

31. Magna insolentia ; remigare enim antequam sciamus, gubernare tentamus. *De timore Dei.*

S. GAUDENT. — 32. Imperio animæ, carnis conditio obsecundet, ne effrænata licentia, ancilla ejiciat dominam suam. Tract. *de Machab.*

GLOSS. ORD. — 33. Nullus potest esse bonus rex in regimine sui et aliorum, nisi abjiciat a se superbiæ vitium. Super 1 *Reg.* XV.

34. Justum est, ut qui non novit moderamina vitæ suæ tenere, non subito fiat rector alienæ. Super *Judith*, cap. 10.

35. Quanto reges plurium rerum regimen habuerunt, tanto majoribus suppliciis succumbent. Super *Psalm.* XCVIII.

GLOSS. INT. — 36. Moderati viri carnem regunt, et spiritui subdunt. Super *Psalm.* CXXXVII.

37. Non regunt, sed regere videntur, qui male præsunt. Super *Daniel.*, cap. 13.

S. GREGOR. MAG. — 38. Unusquisque superbus rector, toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatus, honoris sui singularitate lætatur. Lib. 24 *Moral.*, cap. 14, num. 29.

39. Ne impietatis dux, per officium pietatis existat : non enim debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, neque ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, qui quod resecare debuit, ipse committat. *Ibid.*, cap. 15, num. 30.

40. Unusquisque rector quoties extollitur in eo quod cæteros regit, toties per lapsum superbiæ a summi rectoris servitio separatur. *Ibid.*, cap. 14, num. 29.

41. Rectori provido cogitatione sollicita potestas, quæ accepta est, non honor, sed onus æstimatur. *Ibid.*, cap. 16, num. 30.

42. Potestas regiminis ministrari non potest sine studio curæ temporalis : idcirco omnipotens Deus onus regiminis, duris ac laboriosis cordibus injungit. *Ibid.*, lib. 25, cap. 16, num. 22.

43. Locus regiminis cum regendus offertur, in se prius necesse est ut quisque discutiat, si loco vita congruit, si ab honore actio non dissentit, *Ibid.*, num. 23.

44. Qui summa regit, etiam extrema non deserit : quia sic impenditur maximis, ut tamen hæc